# OBSERVATIONES CRITICAE IN EURIPIDIS TROADES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA-AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS BUSCHE

HANNOVERANUS.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA SCHMIDTIANA HELMSTADIENSIS.

1886.

Quicunque accuratius inquisivit in apparatum criticum Troadum Euripidis, cognoverit, ad hanc fabulam recensendam duo tantum codices valere, Vaticanum 909 (V) et Palatinum 287 (P). E quibus Vaticanus, quem et Kirchhoffius longe meliorem habuit et Nauckius, quanquam pluribus locis quam Kirchhoffius ab eo recessit (cf. stud. Eur. II p. 126 sq.), praetulit, ab editoribus Troadum recensioni primo loco subjici solebat. Sed postquam Wilamowitzius in anal. Eurip. p. 50 sq. comprobavit, Palatinum Troadum et Baccharum haud parem esse Palatino ceterarum fabularum[1]), sed ad codicem ejus veteris et boni generis, quod scriptor Christi Patientis usurpavisset, recedere, dubium videri debuit, num illi viri de Vaticani pretio recte judicaverint. Et ex accurata comparatione diversarum lectionum utriusque codicis mihi quidem constitit, Palatinum si non antecedere Vaticanum, tamen certe eadem auctoritate esse atque illum librum. Qua ex opera, cum supervacaneum videatur, omnes discrepantias partim minutissimas separatim edere, id quod futuro Troadum editori aliquem usum afferre posse credidi, in hac dissertatione publici juris faciam, additis aliis nonnullis observationibus, quas in hujus fabulae lectione

[1]) cf. etiam Robertum in Herm. vol. XIII, p. 155, qui aliam hujus rei comprobationem affert, Mekleri Euripidea p. 22 adn.

identidem repetita hic illic feci. Ac primum quidem exponam, quae ratio intercedat inter scholia et codices, deinde complures locos majoris momenti enumerabo, quibus Palatini lectio injuria neglecta videatur, postremo de singulis locis conjectura seu tentatis seu tentandis dicam.

## Caput primum.

Postquam Bartholdus in dissertatione, quam scripsit de scholiorum in Euripidem veterum fontibus, majora molitus quam assequi poterat singula scholia certis auctoribus per stemma dispositis vindicare frustra laboravit, initium de scholiis Euripideis certius aliquid et probabilibus causis firmatum eruendi Wilamowitzius fecit in disputatiuncula de Rhesi scholiis (progr. acad. Gryphiswald. a. 1877 ed.), in qua et vetera elementa Rhesi scholiorum a recentiore paraphrasi secrevit et hanc paraphrasin post separationem codicum familiarum factam esse demonstravit

Hic ipse Rhesi commentarius ex Euripideis scholiis maxime idoneus est, quocum Troadum comparetur, quae res jam inde apparet, quod hic eodem modo exilis atque decurtatus ad nostra tempora pervenit. Quanquam hos commentarios ex eodem fonte fluxisse, Wilamowitz propter discrepantiam verborum, quibus paraphrases inducuntur, suo jure negat. Nam Rhesi paraphrasta semper fere utitur verbis *φησίν* vel *τὸ ἑξῆς*, semel tantum *τὸ ἑξῆς τοῦ* et *ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν*, nunquam vero verbis *ὁ νοῦς*, *ὁ λόγος* vel *ἡ σύνταξις*, quae saepissime in veteribus Pindari scholiis paraphrasin inducunt; contra in Troadum scholiis, etsi formula *ἡ σύνταξις* ne hic quidem legitur, tamen *ὁ λόγος* legitur ad vs. 220 et 435, *ὁ δὲ λόγος* ad vs. 99 et 117, *ὁ δὲ νοῦς τοιοῦτος* ad v. 122, *ὁ δὲ νοῦς οὕτως* ad v. 988. Elementa tamen utriusque

commentarii haud ita absimilia sunt. Nam praeter paraphrasin, quae maximam partem utriusque efficit, ut in Rhesi, etiam in Troadum scholiis non paucae singulorum verborum explicationes inveniuntur, quae ex lexico aliquo veteri Troadum editioni adscriptae a paraphrasta in commentarium suum excipiebantur. cf. ad v. 267: *τί θέσμιον: τί θέσμοποιόν, θεμιτόν, μὴ ὅδε νόμος τῶν Ἑλλήνων*. 396 *ἴξις ἐξεργάζεται: παρουσία, ἄφιξις*. 597 *δυσφροσύναις: κακοβουλίαις*; porro cf. schol. ad vs. 814, 1006, 1090. Tum etiam restant vestigia veteris commentarii ad eos locos expediendos conscripti, qui critico signo *X*[1]) notati erant. Hujus generis exempla sunt schol. ad vs. 16, 89, 430, 457, 855 ubi refutatio, quae sequitur explicationem illarum notarum, ex enchiridio mythologico a Roberto (Bild und Lied p. 228) Lysimacho Alexandrino adscripto desumpta videtur. Porro huc pertinent quae ad vs. 14, 31, 36 44, 214, 453, 703, 822, 863, 890, 943, 975, 1079, 1107, 1175 adnotata sunt. De his locis accuratius disserere ea de causa a proposito meo alienum est, quia eae lectiones, quibus V et P discrepant, omnes fere a paraphrasta afferuntur. Itaque nobis quaerendum est, num in diversa lectione dijudicanda paraphrastae testimonium auctoritatem habeat, et si habet, utrius codicis lectiones eo confirmentur. Paraphrasta autem plurimis locis, quibus V et P lectione differunt, cum V facit (22), octo locis cum P; idem novem locis lectionem et a V et a P diversam praebet, quae tamen aut sine dubio vera est, aut praestare videtur. Hi loci primum enumerentur:

**In v. 308 codices exhibent:**

---

[1]) de aetate hujus signi adhuc sub judice lis est, cf. Wilam. de Rhes. disp. p. 10 sq.

ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρω, σέβω, φλέγω.

Schol.: δύναται δὲ πρὸς ἑαυτὴν λέγειν ἀντὶ τοῦ ἄνεχε καὶ φέρε. Imperativum verum esse metrum demonstrat. cf. etiam schol. ad. Ar. Av. v. 1717.

324. Post v. 322 codices praebent παρθένων ἐπὶ λέκτροις, quod idem legitur in v. 324 ante ἃ νόμος ἔχει. Priore loco haec verba supervacanea et male ex altero illata esse et metrum et nexus sententiarum docet. Scholiasta cum adnotet ὥστε αὐγὴν καὶ αἴγλην ποιεῖν σοί, ὦ Ὑμέναιε. ἢ σύ, ὦ Ἑκάτη, διδοῦσα φῶς, ὥςπερ νόμος ἐστὶ ταῖς παρθένοις. ἔθος γὰρ εἶχον πῦρ ἀνάπτειν ἐπὶ τὸν γάμον, tantum altero loco versum legisse videtur.

514. Codd. ᾠδὰν ἐπιτήδειον. Schol. recte ἐπικήδειον.

In v. 538 sq. codices praebent:

κλωστοῦ δ' ἀμφιβόλοις λίνοισι, ναὸς ὡσεὶ
σκάφος κελαινὸν εἰς ἕδρανα
λάινα δάπεδά τε φόνια πατρίδι
Παλλάδος θέσαν θεᾶς.

Scholiasta dicit: καθάπερ ναὸς σκάφος κλωστοῦ λίνου ἀμφιβόλοις ὅ ἐστι σχοινίοις κ. τ. λ. Legit igitur ἀμφιβόλοις λίνοιο, quod Kirchhoffius et Nauckius merito receperunt; nam ingentem illum equum filis asportatum esse, absurdi aliquid habet. ἀμφίβολα pro substantivo etiam apud Leonidam Tarent. VI, 296 legitur.

v. 644 ἐγὼ δὲ τοξεύσασα τῆς εὐδοξίας
λαχοῦσα πλεῖον τῆς τύχης ἡμάρτανον.

Genetivum τῆς εὐδοξίας cum τοξεύσασα construi primo aspectu consentaneum videtur; sed tum comparativus omnino explicari nequit. Kirchhoffius igitur, qui codicum lectionem πλεῖον retinuit, comparativum cum genetivis construxisse videtur. Sed omni definitione omissa

jaculandi imaginem languere[1]) quis non videt? Paraphrasta explicat: *κατὰ τὸ πλεῖστον τῆς τύχης ἥμαρτον.* Legit igitur *πλεῖστον*, quod Nauckius et Dindorfius haud dubie recte receperunt; explicandum quidem aliter atque scholiasta: maxime omnium me effugit fortuna.

In v. 802 legitur *ἵν' ἐλαίας πρῶτον ἔδειξε κλάδον γλαυκᾶς Ἀθάνας*, ita ut subjectum desit. Schol. recte: *ἐν ᾗ πόλει ἡ Ἀθηνᾶ τὸν γλαυκῆς ἐλαίας κλάδον ἔδειξε.*

847. Libri exhibent:

*τὸ τᾶς δὲ λευκοπτέρου*
*Ἁμέρας φίλιον βροτοῖς*
*φέγγος ὀλοὸν εἶδε γαῖαν,*
*εἶδε περγάμων ὄλεθρον.*

Accusativus *γαῖαν* quid sibi velit intellegi non potest: nam *ὀλοὸν* ad *ὄλεθρον* referre debemus. Genetivus qui requiritur ex scholio restituitur, quod haec habet: *τὸ δὲ φέγγος τῆς ἡμέρας, ὅ ἐστιν αὕτη ἡ ἡμέρα πῶς περιεῖδε τὸν ὀλοὸν τοῦτον ὄλεθρον, τὸν κατὰ ταύτην τὴν γῆν ἐπηρμένον κ. τ. λ.*

In v. 1058 sq. in libris legitur:

*ὅμως δ' ὁ τῆσδ' ὄλεθρος εἰς φόβον βαλεῖ*
*τὸ μῶρον αὐτῶν, κἂν ἔτ' ὦσ' ἐχθίονες.*

in quo sententiarum connexu *ἐχθίονες* aptum non esse apparet; scholiasta explicat *κἂν ἀκόλαστοι πάνυ ὦσιν*, unde Hermannus *κἂν ἔτ' ὦσ' αἰσχίονες.*

In v. 1305 sq. codices hoc habent:

*γεραιά τ' εἰς πέδον τιθεῖσα μέλεα*
*καὶ χερσὶ γαῖαν κρύπτουσα (κρύπτουσι P) δισσαῖς.*

*κρύπτουσα* aperte corruptum est: sententia requiritur verbum pulsandi. Quod optime suppetit scholiasta

[1]) Neque forma *πλεῖον* offensione caret, cum Attici tantum *πλέον* dixisse videantur; cf. Nauck. stud. Eur. II p. 27. Dindorfium ad Luc. vol. II, p. VI.

explicans *ἀνακαλοῦμαι, φησὶν, αὐτοὺς τὰ γεραιὰ μέλεα προστιθεῖσα τῇ γῇ καὶ ταῖς δισσαῖς χερσὶ κτυποῦσα τὴν γῆν.*

Quae cum ita sint[1]), suspicari possis, paraphrastam ex communi archetypo nostrorum codicum, quin potius, si spectamus illas lectiones, quas solus praebet, quas in utroque codice (V et P) separatim corruptas esse verisimile non est, jam ex patre illius archetypi commentarium suum perfecisse. Sed tamen credo, de origine illarum verarum lectionum paraphrastae aliter judicandum esse. Nam compluribus locis, quibus ille lectionem Vaticani explicare laborat, cum P veram exhibeat, comprobatur, ni fallor, paraphrasin demum postquam codex P (vel avus ejus) a communi stirpe descriptus est, factam esse.

275. Hecuba ex Talthybio quaerit:

*ἐγὼ δὲ τῷ πρόσπολος ἁ τριτοβάμονος χερὶ*
*δευομένα βάκτρου γεραιῷ κάρᾳ;*

*τριτοβάμονος* P. *τριβάμονος* V. Etiam Kirchhoffius in ed. III Palatini lectionem recepit, quam veram esse jam Seidlerus evicit, exponens, *τριτοβάμων* baculo convenire, contra *τριβάμων* hominis ipsius epitheton esse posse. Vaticani scriptura in scholiis agnoscitur: *τριβάμονος βάκτρου δεομένη διὰ τὸ γηραιὸν κάρα.*

In v. 525 P praebet:

*τόδ' ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον*
*Ἰλιάδι διογενεῖ κόρᾳ,*

---

1) Hartungius pluribus etiam locis schol. paraphrasin verbis, quae codices praebent, praetulit, velut in v. 456 *οὖρον* pro *αὖραν*, in v. 471 *βροτῶν* pro *ἡμῶν*, 550 *δέδωκεν* pro *ἔδωκεν*. Sed cum his locis per se nihil in codicum lectione reprehendendum sit, dubitari non potest, quin paraphrasta id fecerit, quod egit, nempe pro poëtae verbis alia substituerit. Non raro idem Hartungius scholiastae verba artificiose interpretatus verba tradita mutat, ut in vs. 1084, 1254.

quae lectio cum et ad sententiam accommodatissima sit et metro defendatur, ab omnibus editoribus recepta est. V praebet pro *ἀνάγετε* *ἄγετε*, quod scholiasta legit, cum explicet: *πρὸς ἑαυτοὺς δὲ, φησὶ, παρεκελεύοντο οἱ Τρῶες, τοῦτο τὸ ἱερὸν ξόανον, τὸν ἵππον, ἄγετε τῇ Ἀθηνᾷ.*

Luculentius etiam exemplum praebet v. 535.

Inde a v. 531 in V scriptum videmus:

*πᾶσα δὲ γέννα Φρυγῶν*
*πρὸς πύλας ὡρμάθη,*
*πεύκᾳ ἐν οὐρείᾳ*
*ξεστὸν λόχον Ἀργείων*
*καὶ Δαρδανίας ἄταν*
*θέα δώσων*
*(καὶ) χάριν ἄζυγος ἀμβροταπώλου.*

In P pro *θέα* i. e. *θέᾳ* scriptum est *θεᾷ*. Paraphrasta haec commentatur: *καὶ ὁ Πρίαμος ἐξῆλθε τὴν βλάβην θεασόμενος*, quo fisus Kirchhoffius in prioribus duabus editionibus lectionem Vaticani recepit. Sed ut concedamus, *θέᾳ διδόναι* dici posse (cf. Andr. 1087) tamen hoc loco certe absurdum est. Nam cum omnes Trojani equum ligneum viderint (cf. 522 sq.), cur tunc etiam illum ad contemplandum proponant? Atque in iis quae sequuntur narratur, Trojanos equum in templo collocasse, non in publico proposuisse. Sed maxime Vaticani lectio appositione *χάριν ἄζυγος ἀμβροτοπωλου*[1]) refellitur, quam ad totam sententiam pertinere, ita ut genitivis Minerva designetur, recte monuit Musgravius[2]). Haec enim

---

[1]) sic recte Musgravius.

[2]) Hermannus quidem diverse interpretatur „donum equi divini, frenorum impatientis“; non recte, nam neque ab appositione *χάριν* genitivus ejus notionis pendere potest, quae ipsa appositione definienda est, neque chorum in eodem enuntiato tam diverse de equo dicere verisimile.

appositio, si legimus *θέᾳ*, neque ad sententiam quadrat, et per se obscura est: ipsa epitheta postulant, ut in iis quae antecedunt, jam dea commemorata sit. Recte igitur cum P scribitur *θεᾷ*.

1179. Hecuba de Astyanacte mortuo dicit:

*ὦ χεῖρες, ὡς εἰκοὺς μὲν ἡδείας πατρὸς*
*κέκτησθ', ἐν ἄρθροις δ' ἔκλυτοι πρόκεισθε (νυν).*

*πρόσκεισθε* V. Sed cum de projectis manibus mortui agatur, illam lectionem Palatini sine dubio veram omnes editores receperunt. Scholiasta legit *πρόσκεισθε*: *ὅμοιοι μέν ἐστε τοῦ πατρὸς, ἐν δὲ τοῖς ἄρθροις ἐκλελυμένοι πρόσκεισθε*, quod Dindorfius non tacite in *πρόκεισθε* mutare debuit.

His locis tres accedunt, quibus unus alterve editorum negat, Palatini lectionem a scholiasta ignoratam Vaticani lectione meliorem esse. Ac primum quidem agitur de v. 103, in quo Kirchhoffius et Nauckius cum scholiasta V sequuntur. Hecuba se cum nave comparans cantat:

*πλεῖ κατὰ πορθμόν, πλεῖ κατὰ δαίμονα,*
*μηδὲ προσίστω πρῷραν βιότου*
*πρὸς κῦμα πλέουσα τύχαισιν.*

*προσίστω* V. *προσίστη* P. Scholiasta adnotat *ἀντὶ τοῦ μὴ ἀντικεῖσθαι τοῖς πρὸς πρῷραν κύμασιν, ὅ ἐστιν, μὴ ἀνθίστασο τῷ δαίμονι τοῦ βίου.*

Ex altera parte interpretationis elucet, paraphrastam legisse medium. Quod tamen ferri non potest, nam dativum *τύχαις* ne conjungamus cum verbo *προσίστω* primum impedimur significatione verbi *προσίστασθαι*, quod eadem significatione qua *ἀνθίστασθαι*, h. e. se opponere nunquam usurpatur, tum vero accusativo *πρῷραν*, qui cum nullo modo cum *πλέουσα* conjungi possit[1]), tantum a verbo

[1]) Verbum enim *πλεῖν* conjungi quidem potest cum accusativo objecti interioris, quod dicitur, ut *θάλασσαν πλεῖν, πλοῦν πλεῖν.*

προσίστω pendere potest. προσίστασθαι autem cum accusativo nihil significat nisi accedere ad aliquid, cf. Aesch. Pers. 199 βωμὸν προσέστην. Dativus igitur τύχαις, qui praeter accusativum ad προσίστω accedere non potest, cum πλέουσα conjungi debet, quod verbum jam πρὸς κῦμα secum habet. Cumulatio igitur definitionum exsistit parum apta. Sed maxime προσίστω ferri non posse ex ipsa significatione enuntiati primarii elucet. Nam verba „accede ad rostrum" in hoc sententiarum nexu absurda esse nemo sano judicio usus non videt. Longe aliter Palatini lectio se habet. Si enim activi imperativum legimus, verba πρὸς κῦμα conjungenda sunt cum verbo finito, atque aptissime oratio Hecubae hoc modo procedit: vitae navem adversus undam dirige, rebus adversis navigans; de verbis πλέουσα τύχαις vide Tyrellium.

In v. 120 sq. Hecuba miseriam suam deplorans secundum V dicit:

μοῦσα δὲ καὐτὴ τοῖς δυστήνοις

ἄτας κελαδεῖν ἀχορεύτους. P pro καὐτή praebet χαὔτη. Kirchhoffius V secutus in ed. I adnotat: „non sollicitanda proborum librorum scriptura, „musa et ipsa est miserias deplorare tristissimas", h. e. id genus musae, quod versatur in lamentationibus, et ipsum musae nomine non indignum, quia affert vel per tristitiam umbram saltem laetitiae . . . sic etiam schol. καὶ αὐτὴ δέ, φησι, παραμυθία τοῖς δυστυχοῦσι τὰς ἑαυτῶν [θρηνεῖν συμφοράς]." Sed diverse uterque interpretatur. Scholiasta locum expedire studet, pro μοῦσα in paraphrasi

---

sed activam potestatem, quod quidem sciam, uno tantum loco habere videtur Iph. Taur. 408 ἔπλευσαν ἐπὶ πόντια κύματα νάϊον ὄχημα; sed ibi Hermannus ὄχημα intellexit vectionem, Dindorfius pro ἔπλευσαν scribi jussit πόρευσαν, Koechlius ἔπεμψαν, Rauchensteinius (progr. Argov. a. 1860 p. VIII) ἔστειλαν.

scribens *παραμυθία*, Kirchhoffius vero artificiosa utitur explicatione, in qua verba *τοῖς δυστήνοις* prorsus omittit. Quibus additis nemo non vertet: „miserias cantare et ipse miseris cantus est", quasi Hecuba de aliis quoque cantibus cogitet. Quod ferri non posse intellexit Hartungius, eaque de causa post *δυστήνοις* inseruit *δύστηνος*, ut sensus esset „et ipsa musa miseris misera est, cum canat calamitates". Eundem sensum minus violenter Cronius restituit, conjiciens *ἀχόρευτος*. Sed ea sententia, quam ita nanciscimur, arte conjuncta est cum verbis, quae praecedunt *μελέων — ἐλέγους*, quorum causam vel explicationem exprimit. Tum vero pro conjunctione adversativa exspectamus causalem. Illud ipsum *δὲ* significare videtur, haec verba *μοῦσα κ. τ. λ.* solacium aliquod exprimere, quod Hecuba sibi ipsa dicat. Hunc autem sensum optime Palatini lectio suppeditat, secundum quam Hecuba dicit „Etiam miseris ea musa restat, quae versatur in miseriis cantandis".

852. Chorus de Aurora dicens cantat:

*τεκνοποιὸν ἔχουσα τᾶσδε*

*γᾶς πόσιν ἐν θαλάμοις.* *τᾶσδε γᾶς* P. *τάδε γᾶς* V. Cum scholiasta explicet *ὅ ἐστιν αὕτη ἡ ἡμέρα, πῶς περιεῖδε τὸν ὀλοὸν τοῦτον ὄλεθρον τὸν κατὰ ταύτην τὴν γῆν ἐπηρμένον καὶ τῶν περγάμων, καίτοι ἄνδρα ἔχουσα ἐν ταύτῃ τεκνοποιόν κ. τ. λ.*, in suo codice videtur invenisse *τᾷδε γᾷ*, quod Hartungius et Dindorfius in textum receperunt dativum commodi intellegentes (cf. Hart. adn.). Sed id certe minoris momenti est, quod filius Tithoni Memnon Trojanos adjuvit, primo loco certe ea de causa Aurora Trojae perniciem pati non debebat, quia ex hac urbe maritum habebat. Itaque genetivus locativus, de quo v. Krügeri gr. gr. 46, 1, 6, optime se habet.

His locis perlustratis dicere aliquis potest, meliores

lectiones, quas P contra scholiorum auctoritatem praebeat, ex alio quodam codice in P correctas esse. Sed hoc non magis verisimile est, quam in Rheso eas lectiones, quibus Laurentianus V et scholiastam superat (cf. Wilamowitz in progr. ind. p. 9) e correctura ortas esse: haec emendandi facultas a posteriore aetate Byzantinorum a veterum grammaticorum doctrina et sagacitate longe remota aliena erat. Itaque, ut jam sententiam meam proferam, paraphrasta usus est aliquo ex avis nostri Vaticani, qui eas lectiones, in quibus scholiasta P sequi videtur, etiamtum habebat, sed eis, quibus ille false V sequitur, cum P rectam scripturam praebeat, jam carebat. Sed quid tum facimus iis lectionibus, quas scholiasta solus exhibet? Ne hae quidem sententiae nostrae refragantur. Sex enim illorum locorum in choricis exstant, atque etiam v. 644 difficilis est explicatu; quidni igitur factum esse potest, ut jam in vetere illo commentario, quo paraphrasta usus est, difficiliores loci explicati essent et paraphrasta has explicationes cum veteribus bonis lectionibus plus minusve scite in suam paraphrasin intexeret? Atque in nonnullis harum paraphrasium etiamnunc aut majoris doctrinae vestigia quam quae paraphrastae nostro plerumque verba poëtae arte prementi tribui possit, aut diversa ratio explicandi distingui potest. cf. v. 308 *δύναται δὲ πρὸς ἑαυτὴν λέγειν ἀντὶ τοῦ ἄνεχε καὶ φέρε.* 514 *ποίησόν με ᾆσαι ἐπικήδειον μέλος εἰς τὴν Ἴλιον,* post quae verba paraphrasta pergit *ὅ ἐστι κ. τ. λ.* 643. *ἐγὼ δὲ τοξεύσασα καὶ*[1]) *βαλοῦσα τὸν σκοπὸν τῆς εὐδαιμονίας* etc. Etiam versus 1055 paraphrasis *κἂν ἀκόλαστοι πάνυ ὦσιν* veterem glossam sapit. Eodem modo alibi interdum juxta eam lectionem, quam nunc in libris legimus, recta explicatio recti vocabuli servata est;

[1]) de *καὶ* cf. Lehrs, de schol. Pindaricis p. 25 et p. 79.

velut in v. 540, ubi explicatur *φοίνιά τε πατρίδι: ἀντὶ τοῦ φονίως ἤτοι φοινιχθέντα,* vera lectio est *φόνια.*

Quae si recte disputata sunt, apparet, scholiastae auctoritatem tum tantum maximi faciendam esse, si codicis P lectiones affert, contra si cum V facit, auctoritatem ejus eo tantum valere, quod ex hac re cognosci potest, jam in avo Vaticani illas lectiones infuisse.

## Caput secundum.

Nauckius in stud. Eur. II pag. 127 sq. 18 locos enumeravit, quibus Kirchhoffius false V praetulisset, cum P meliorem lectionem praeberet, quod ita evicit, ut ipse Kirchhoffius in tertia editione plurimis horum locorum Nauckio obsequeretur. Multo plures enumerare potuit, nisi ipse ea sententia captus esset, P deterioris familiae et in universum $V^m$ anteponendum esse (cf. l. i. p. 135), Equidem certe persuasum teneo, praeter illos 18 non paucos exstare locos, quibus P meliora exhibere accurata sententiae et poëtae usus dicendi ratio doceat. Cujus rei complura exempla jam proferam.

v. 40. Neptunus de Hecuba locutus dicit:

*ἡ παῖς μὲν ἀμφὶ μνῆμ' Ἀχιλλείου τάφου*

*οἰκτρὰ τέθνηκε τλημόνως Πολυξένη. λάθρα* pro *οἰκτρὰ* praebet V, quod omnes recentiores editores uno Nauckio excepto verum habent. Seidlerus adnotat: „egregia haec lectio (*λάθρα*) est et altera haud dubie melior. Etenim clam Hecuba factam esse Polyxenae immolationem, videmus e versibus 260 (264) et 618 (623) sq.“ Hoc quidem ita se habet, sed tamen *λάθρα* genuinam lectionem non esse jam inde apparet, quod Neptuno ea incommoda Hecubae enumeranti, ob quae lacrimas fundit, hoc additamentum prorsus non convenit. Praeterea, cum intellegi non possit, qui *οἰκτρὰ* pro

λάθρα in textum illatum sit, — nam hoc τλημόνως explicuisse extra veri speciem positum — λάθρα ea ipsa de causa adscriptum est, quia progrediente actione edocemur, Hecuba ignorante Polyxenam immolatam esse. Atque in V adscriptum est γράφεται καὶ οἰκτρὰ ὃ καὶ ἄμεινον. Nonne igitur verisimile est, olim in utroque codice tantum οἰκτρὰ lectum fuisse atque in patre codicis V λάθρα a grammatico quodam, qui rem postea factam jam in prologo significari volebat, adscriptum esse? Nisi statuere mavis, jam in archetypo utriusque codicis illam notam superscriptam esse eamque in id genus codicum, quod V repraesentat, temporum decursu pro genuina lectione irrepsisse, a P vero spretam esse. Adjectivum autem οἰκτρά dicendi usui Euripidis plane accommodatum est, qui adverbium et adjectivum ejusdem fere significationis juxta ponere amat. cf. 1173 δύστηνε, κρατὸς ὥς σ' ἔκειρεν ἀθλίως τείχη πατρῷα. Jon. 1226 πᾶσα δὲ ζητεῖ πόλις τὴν ἀθλίως σπεύσασαν ἀθλίαν ὁδόν Troad 446 κακὸς κακῶς ταφήσει. Med. 1386. cf. etiam Phoen. 1696[1]).

123. Ἴλιον ἱερὰν αἵ κώπαις κ. τ. λ. ἱερὰν P. ἱερὸν V, quod Nauckius recepit; sed ἱερὰν metro postulatur, cum praesertim sic etiam quattuor breves syllabae in versu anapaesto concurrant. (Christ. Metr. § 282). Feminina forma Ἴλιος, qua Sophocles abstinuit, apud Euripidem legitur Troad. 1295. Andr. 103, (Rhes. 171)·

127. Hecuba dicit:

πρῷραι ναῶν ὠκεῖαι
Ἴλιον ἱερὰν αἵ κώπαις
δι' ἅλα πορφυροειδέα καὶ λιμένας
Ἑλλάδος εὐόρμους

---

[1]) M. Schmidti igitur conjectura θαλερά facile carebimus.

αὐλῶν παιᾶνι στυγνῷ
συρίγγων τ' εὐφθόγγων φωνᾷ
βαίνουσαι κ. τ. λ. — φωνᾷ P φωναῖς V.

Vaticani lectio, quam Kirchhoffius et Nauckius receperunt, concinnitati quae initio hujus periodi cernitur, repugnare videtur. Nam ut illic adjectiva eodem casu substantivis, quae ad idem pertinent, adjuncta sunt, ita etiam in iis versibus, qui sequuntur verba ad eandem rem pertinentia omni ex parte se respondere ex Euripidis aequabilitatis studio exspectare possumus. Atque hujus concinnitatis olim exstantis reliquias puto esse illud φωνᾷ, quo reposito ut concinnitas plane resituatur, tantum restat Musuri lectionem εὐφθόγγῳ pro εὐφθόγγων resuscitare. Quae lectio eo quoque commendatur, quia φωνή aliis quoque locis, etiamsi a pluribus sive hominibus sive instrumentis efficitur, singulari numero ponitur. cf. Or. 1397. αἴλινον αἴλινον ἀρχὰν θανάτου βάρβαροι λέγουσιν, αἰαῖ, Ἀσιάδι φωνᾷ.

138. ὤμοι θάκους οὓς θάσσω
σκηναῖς ἔφεδρος Ἀγαμεμνονίαις.

οὓς P. οἵους V. Si cum Seidlero et Tyrrellio statuimus, cantum Hecubae in duas strophas et antistrophas dividendum esse, cui sententiae numeri in universum favent, Palatini lectio postulatur, cum οἵους recepto vs. 138 non respondeat versui 122. Sed etiam grammatica ratione lectio οὓς vera evincitur. Etenim rarior est difficiliorque intellectu, in qua genetivus θάκων casui pronominis relativi, quod sequitur assimilatus sit, quae attractio hic illic apud Atticos invenitur. cf. Med. v. 10. Soph. El. 653. Trach. 152. 283 (ubi v. Nauck.), Ar. Lys. 408 Dem. XVIII, 12. Xen. Hell. 1, 4, 2. Plat. Men. 96 a, 96 c. Facile igitur librarius induci poterat, pronominis

relativi mutatione lectionem magis tritam atque familiarem restituere.

247. Hecuba ex Talthybio quaerit:

*τοὐμὸν τίς ἄρ' ἔλαχε τέκος, ἔννεπε,*

*τλάμονα Κασάνδραν*; Ita legitur in P, in V *ἄρ'* omissum est. Dindorfius retinuit scripturam Aldinae *τοὐμὸν δὲ τίς ἄρ' ἔλαχε* etc., quamquam jam Seidlerus recte dixerat, particulam *δέ* a sententia alienam esse. Nam postquam Talthybius Hecubam omnia simul interrogare vetuit, haec praecepto illius obsecuta particula adversativa uti non potest. Praeterea Nauckius (l. c. p. 137) monuit, *δέ* metro repugnare, cum — id quod Engerus recte observasset — tragici evitavissent ‚alteram syllabam longam versus dochmiaci solvere, nisi simul prima soluta esset. Seidlerus igitur lectionem Palatini recepit, ita ut versus ex dochmio constaret, quem antecederet dactylus cum anacrusi. Sed cum reliqui versus dochmiaci in hoc commo puri sint, etiam hunc ex trimetro — nam verba *τλάμονα Κασάνδραν* Seidlerus minus recte ab hoc versu segregavit[1]) — dochmiaco constare verisimile est. Minus etiam placet Kirchhoffii conjectura *τοὐμὸν τίς ἆρ' ἔλαχε τέκος, ἔννεπε κ. τ. λ.*, in qua particula *ἆρα*, quae cum vi quadam conclusionem introducit, apta non est. Metrum, quod requiritur, restituit Nauckius l. i. conjiciens *τοὐμὸν τίς τίς ἔλαχε τέκος, ἔννεπε κ. τ. λ.*, quod in textum editionis recepit. Sed cum modo Talthybius Hecubam jusserit, deinceps singulas res ex se quaerere illaque praecepto pareat, duplex pronomen interrogativum minus aptum videtur; neque ulla causa est, cur *ἄρα*, qua optime

[1]) de *ε* producto ante *τλ* v. Seidlerum, de vers. dochm. p. 21, et 409, Goebel de corr. attica. dubito tamen an non post *ἔννεπε σύ* exciderit.

Hecuba se Talthybii praecepto obsequi velle significat, in suspicionem vocetur. Quod ut servetur simulque metro consulatur, statuerim, verborum ordinem initio versus mutatum esse, quam rem saepe in codicibus nostris factam esse constat. cf. vs. 64 et 846. Scribendum igitur puto *τίς ἄρα τοὐμὸν ἔλαχε τέκος, ἔννεπε τλ. K*;

296. Talthybius dicit inde a v. 294:

*ἴτ᾽ ἐκκομίζειν δεῦρο Κασάνδραν χρεὼν*
*ὅσον τάχιστα, δμῶες, ὡς στρατηλάτῃ*
*εἰς χεῖρα δούς νιν εἶτα τὰς εἰληγμένας*
*καὶ τοῖσιν ἄλλοις αἰχμαλωτίδων ἄγω.*

*δούς νιν* P. *δῶμεν* V, quod Kirchhoffius exquisitius vocat et Nauckius quoque recepit. Sed ego mihi persuasi, Palatini lectionem et forma et sententia magis commendari. Nam si Kirchhoffium sequimur, in enuntiato, quod *εἶτα* introducit, pro praesenti futurum tempus exspectamus, cum in hunc locum non cadat quod grammatici de usu praesentis pro futuro statuunt (cf. Kr. gr. gr. § 53, 1, 6 sq.). Ejusdem enim generis est v. 1018, ubi Dindorfius et ipse Nauckius codicum lectioni *πέμπω* recte *πέμψω* substituerunt. Quid? quod sententia etiam arguit, Palatini scripturam poëta esse digniorem? Nam chori interrogatione Talthybius memor fit, etiam reliquas captivas ad dominos sibi agendas esse, eaque de causa Casandram quam celerrime ad Agamemnonem agi debere. Sic vero praeconem incitari quaestione chori optime exprimitur lectione Palatini, quae magnum negotium quod Talthybius sibi restare videt, vi ed pondere summam facit enuntiati finalis, cum sec. V enuntiatum primarium quo Talthybius consilium mulierum agendarum exprimit, vivacitati et incitationi prioris sententiae parum respondeat. Corruptelam in V ita ortam puto, ut supra *δούς δῶ* scriberetur, quod in textum illatum cum *νιν* ad *δῶμεν* coaluit. De

hoc corruptelarum genere cf. Heimsoeth, krit. Stud. I, p. 269.

319. Casandra nuptias suas celebratura cantat inde a 315:

*ἐπεὶ σύ, μᾶτερ, ἐπὶ δάκρυσι καὶ*
*γόοισι τὸν θανόντα πατέρα πατρίδα τε*
*φίλαν καταστένουσ' ἔχεις,*
*ἐγὼ δ' ἐπὶ γάμοις ἐμοῖς*
*ἀναφλέγω πυρὸς φῶς.* ἐγὼ δ' P, ἐγὼ τόδ' V.

ἐγὼ τόδ', si in antistrophae versu 335 Fixii probabilem conjecturam *βοᾶτε τὸν ὑμέναιον εὖ* accipimus, numeris sufficit, cum Palatini lectio sic quoque una syllaba minorem reddat versum 319. Sed tamen hunc librum reliquias verae lectionis servasse puto. Consentaneum enim est, Casandram se ipsam matri, quae lacrimare non desinit, fortiter opponere. Quod facit, si cum Hermanno (disp. de nonnullis Troadum locis p. 7) legimus *ἐγὼ δέ γ' ἐπὶ,* quam conjecturam Dindorfius merito in textu posuit. Mutatio in V, si non ex dittographia orta est, facta videtur esse a librario, qui *δέ* apodosin incipere non posse putavit. Sed Hermannus ad. Vig. p. 785 „usitatum Graecis est, inquit, post plerasque particulas temporales in iisque maxime post *ἐπεί,* per anacoluthon inferre in apodosi particulam *δέ.*" Unum exemplum attulisse satis habeo: Soph. Oed. Reg. v. 1266 *ἐπεὶ δὲ γῇ ἔκειτο τλήμων, δεινὰ δ' ἦν τἀνθένδ' ὁρᾶν.* ib. v. 302, ubi vide Wolffium. Particulas autem *δέ γε* non raro conjungi constat. cf. Jon. 368. Aesch. Choeph. 921 (D), Suppl. 746.

442. *ζῶν εἶσ' ἐς Ἅιδου* P. *ἐς Ἅιδην* V. Cum *ἐς Ἅιδην* alibi tantum in canticis inveniatur (Suppl. 797, 1004, Jon. 1496. Herc. 736, Hipp. 1366), majorem fidem habebimus lectioni Palatini, quae fides eo confir-

matur, quod etiam in initio hujus versus Vs aperte interpolatoris manum expertus est, cf. Nauck, stud. II, p. 131.

452. Casandra dicit:

*χαίρετ' ἐκλέλοιφ' ἑορτὰς αἷς πάροιθ' ἠγαλλόμην.*

*ἐκλέλοιπα δ' ἑορτάς* V, quod Nauckius l. i. p. 140 defendere studet conjectura *ἐκλέλοιπα δ' ὀρτὰς* coll. Jonis fragmento 21 p. 570 *ἐνιαυσίαν γὰρ δεῖ με τὴν ὀρτὴν ἄγειν*, quanquam ipse concedit, etiam Palatini lectionem ferri posse. Quae certe sola genuina est. Nam cur Euripidi formam Jonicam imputemus, eo minus causa adest, quia particula *δέ* omnino hoc loco haud ita apta est, pro qua, si particula opus esset, causalem certe exspectes. Sed optime se habet asyndeton.

543. Chorus cantat:

*ἐπὶ δὲ πόνῳ καὶ χαρᾷ*
*νύχιον ἐπὶ κνέφας παρῆν.* *ἐπὶ δὲ* P. *ἐν δὲ* V, quod praeter Kirchhoffium etiam Nauckius edidit, qui tamen in adnotatione critica alteram lectionem veriorem putat. Et eam veriorem esse jam metrum ostendit. Nam in versibus 539—550 (= 519—530) systema jambicum habemus, quod graviter laeditur, si in v. 540 *ἐν δὲ* scribitur, cum *ἐπὶ* accuratissime respondeat praepositioni *ἀνὰ* in v. 522. Sed etiam ad sententiam *ἐπὶ* melius est: quippe crepusculum extrinsecus accedit. Ad alterum *ἐπὶ* explicandum aliquis conferre potest Soph. Oed. R. 182 *ἐν δ' ἄλοχοι πολιαί τ' ἐπὶ ματέρες ἀκτὰν παρὰ βώμιον — ἐπιστενάχουσι.* Sed ibi *ἐπὶ* adverbialiter positum alteram notionem alteri adjungit, cum nostro loco ratio postulet, ut *ἐπὶ* cum verbo conjungatur. Itaque Tyrrellius explicat, *ἐπὶ* per tmesin ad *παρῆν* referendum esse. Sed praepositionem a verbo composito tmesi separari naturae tmesis parum accommodatum esse recte monet Piersonus in mus. Rhen. XI, p. 264. Legimus

quidem Soph. El. 299 *σὺν δ' ἐποτρύνει πέλας*, sed hic — id quod jam *δὲ* significat — *σὺν* adverbium est; diversum etiam est Iph. Taur. 1278 *ἀπὸ δὲ λαθοσύναν νυκτωπὸν ἐξεῖλεν βροτῶν*, ubi tmesis quidem statuenda videtur, sed utraque praepositio prorsus idem significat. Aliud etiam accedit, quod *ἐπὶ* in suspicionem vocat. Sententia enim *ἐπὶ κνέφας παρῆν* natura sua diversa est ab iis quae sequuntur. Illa enim tempus indicat, cum his quid hoc tempore fiat, dicatur. Itaque illa his logice subjuncta est. Quibus de causis Hermannus, quem laudat Kirchhoffius, conjecit *ἐπεὶ*, in strophae v. 523 verba *πέτρας σταθεὶς* transponens. In eandem conjecturam incidit Dobraeus (advers. IV p. 87 ed. Berol.), nisi quod in strophae versu nulla mutatione facta *Τρωϊάδος* scribi jubet, coll. Hecubae v. 95. Quam conjecturam veram habeo.

566. . . . . *ἐρημία*
*νεανίδων στέφανον ἔφερεν*
*Ἑλλάδι κουροτρόφῳ*

*κουροτρόφῳ* P. *κουροτρόφον* V. Kirchhoffius et Nauckius *κουροτρόφον* ediderunt, quod ille artificiose explicat, *στέφανον κουροτρόφον* eam esse dicens coronam, quae *κουροτροφίᾳ* pariatur. Sed nusquam alibi hoc adjectivum passivo sensu usurpatur, semperque aut terrae alicui aut deo aut certe substantivo abstracto ita tribuitur, ut significet „juvenes alens“, cf. Od. IX, 27. Eur. Bacch. 420. Ar. Thesm. 300. Itaque dativus rectus erit[1]).

634. Andromacha Hecubam, quae Polyxenae morte audita novo dolore excitata est, consolatura dicit:

*ὦ μῆτερ ὦ τεκοῦσα, κάλλιστον λόγον*
*ἄκουσον, ὥς σοι τέρψιν ἐμβάλω φρενί.*

---

[1]) cf. etiam Heinsch, comment. Eur. spec. Glatz 1886 p. 14.

Ita in V legitur. In P deest versus 634 et in v. 635 legitur ἐμβαλῶ. Versum 634 primus protulit Musgravius, sed cum recte intellegeret, verbis ὦ τεκοῦσα Andromacham Hecubam alloqui non posse, e conjectura dedit ὦ μῆτερ οὐ τεκοῦσα κ. τ. λ., coll. Jonis v. 1324, ubi Jon Pythiae dicit χαῖρ' ὦ φίλη μοι μῆτερ, οὐ τεκοῦσά περ. At ratio hujus loci a nostro diversa est. Nam Pythia Jonem educavit ergaque eum prorsus matrem se praestitit, praeterquam quod non peperit. Quod Jonem ab illa discedentem efferre plane consentaneum est. Si vero Andromacha socrum suam ita compellat, hoc mirum, ne dicam absurdum est. Sed etiam aliam rem in hoc versu gravissimae offensioni esse, recte monuit G. Dindorfius in adnott. Oxon p. 663. Etenim κάλλιστον λόγον ἄκουσον ita confidenter dictum est, ut prorsus aliud quid exspectemus sequi ac quod sequitur. Quae verba cum significent laetum aliquem atque insperatum nuntium, in iis quae sequuntur Andromacha Hecubam tantum ea quam de morte habet sententia consolatur, ita ut spes quam Hecuba ex prooemio capere debet, minime expleatur. Quod ita esse jam ante Dindorfium Hermannus sensisse videtur, cum Seidlerus conjecturam ejus afferat ὦ μ. ὦ τεκνοῦσσα καλλίστων γόνων, quod Kirchhoffius rectius sic constituit ὦ μ. ὦ τεκοῦσα κάλλιστον γόνον, ita ut solus Hector designaretur. Sed ne hanc quidem conjecturam, quamvis sit facilis probare possum. Nam cum paullo ante in v. 610 Andromacha Hecubam allocuta sit ὦ μῆτερ ἀνδρός, ὅς ποτ' κ. τ. λ., eam hoc loco iterum eadem appellatione uti non est verisimile. Quae cum ita sint, Matthiaeum recte judicavisse credo, qui v. 634 suspectum sibi videri confitetur. Dindorfium autem qui etiam versum qui sequitur uncinis includit, minime laudo. Quod ut fecerit eadem causa commotus videtur esse, quam Musgravius

jam protulit, Andromacham nempe multo seniorem alloquentem minus decore orationem ab ἄκουσον ordiri. Sed hanc causam nihili esse, quis non videt? Quid? Nonne initio diverbii, in v. 610, quam maxime decore et solemniter socrum Andromacha allocuta est? Nonne etiam hoc loco enuntiato secundario ὥς σοι τέρψιν ἐμβαλῶ φρενί egregie verecundiam suam et pietatem erga Hecubam declarat? Sed etiamsi hae excusationes deessent, in hac allocutione non esset haerendum. Nam eodem modo in Andr. v. 1079 nuntius Peleum senem alloquitur ἄκουσον, εἰ καὶ σοῖς φίλοις ἀμυναθεῖν χρῄζεις τὸ πραχθέν.[1]) Praeterea Dindorfium offendit vocabulum τέρψιν; ne hoc quidem recte: idem enim fere est quod παραμυθία, cf. Andr. 94 τέρψις τῶν παρεστώτων κακῶν. Soph. Oed. Col. 1122. Versus eo quoque defenditur, quod una cum sequenti a Stobaeo fl. 120, 1 affertur. Ego igitur persuasum habeo, solum v. 634 aut ex alia fabula huc illatum, aut — id quod majorem etiam veri speciem habet — ab interpolatore aliquo, qui prooemium desiderabat, fictum esse. Quae si recte disputata sunt, ne id quidem dubium est, quin in v. 635 lectio Palatini ἐμβαλῶ vera sit. Conjunctivus aoristi in V haud dubie propter versum additum correctus est.

679. Andromacha dicit Hecubae:

ἆρ' οὐκ ἐλάσσω τῶν ἐμῶν ἔχει κακῶν
Πολυξένης ὄλεθρος, ἣν καταστένεις; Sic P. ἔχειν .... ὄλεθρον V. Kirchhoffius in P glossam olim intrusam esse ratus edidit lectionem Vaticani, in adnotatione pro κακῶν δοκεῖς conjiciens, reliqui editores Kirchhoffii sententiam secuti Fixi conjecturam τῶν ἐμῶν

[1]) Ab ἄκουσον saepius expositio incipit, cf. Hel. 1049. Iph. T. 578. Or. 1131.

ἥγεῖ κακῶν receperunt. Sed credo, Palatini lectionem his conjecturis longe praeferendam esse. Nam cum Andromacha condicionis suae oblita modo Hectorem allocuta sit, quasi ipse adesset, parum verisimile est, eam uno versu post rursus Hecubam alloqui ejusque judicio se quasi submittere, sed animo dolore incenso multo magis convenit quaestio generalis, qua cum eo unde exiit (v. 637) redierit, jam in enuntiato relativo adjuncto apte Hecubam adloqui potest. At enim *ἔχει* glossema esse ex eo apparet, quod nusquam dicitur *ἐλάσσω ἔχειν*, sed semper *ἔλασσον*, cf. Suppl. 733, Krüger ad Xen. Anab. 1, 10, 8. Recte hoc quidem, sed tamen *ἔχει* recte se habere credo; primum idcirco, quia nemo mediocriter Graece doctus propter illud ipsum *ἐλάσσω* adscripserit *ἔχειν*, sed potius *εἶναι*, tum quia formae *ἐλάσσω* et *ἔλασσον* saepissime a librariis mutatae sunt. cf. L. Dindorf. in Steph. Thes. sub voce. Ad haec si adiunxeris quae diximus de natura interrogationis Andromachae, jam mecum statues, in archetypo nostrorum codicum *ἔλασσον* corruptum esse, librariumque Vaticani, cum accusativum invenisset, etiam reliqua verba in constructionem accus. c. inf. mutavisse, cum Palatini scriptor probam scripturam fidelius servaret.

697. Hecuba Andromachae dicit:

*τὰς μὲν Ἕκτορος τύχας*
*ἔασον· οὐ μὴ δάκρυά νιν σώσῃ τὰ σά.*

*οὐ μὴ* P. *οὐ γὰρ* V. Inde a Kirchhoffio omnes editores, Vaticani lectionem comprobaverunt in v. 638 *σώσει* scribentes. Injuria, mea quidem sententia. Nam aegre Kirchhoffio credam, primum *σώσει* a librario in *σώσῃ* mutatum, tum pro *γὰρ μὴ* in textum illatum esse. Multo facilius fieri potuit, ut *γὰρ* ad rariorem constructionem *οὐ μή* explicandam superscriberetur ac postea in verba

poëtae inferretur. Constat autem, *οὐ μή* cum conjunctivo aoristi vel indicativo futuri ad rem confidenter negandam usurpari[1]). Egregie igitur nostrae sententiae haec constructio convenit; nam re vera lacrimae mortuum in vitam revocare nequeunt. Interpolator haerebat in asyndeto, quo post *ἔασον* pergitur, sed minime in eo offendendum esse docent hi loci Iph. Aul. 671, Iph. Taur. 927. Or. 634. Hipp. 521.

723. Talthybius Andromacham hortans, ne Graecorum decreto resistat, dicit *μήτε σθένουσα μηδὲν ἰσχύειν δόκει. ἰσχύειν* P. *ἰσχύσειν* V. Equidem hoc quoque loco Palatini lectionem contra Kirchhoffium et Nauckium defendam; praesens enim aptius videtur esse, quia verbum *ἰσχύειν* non actionem designat, sed condicionem eandemque fere vim habet quam *σθένειν*. Si vero Andromacha paullo post contra Graecos valida erit, etiam tum cum cum Talthybio loquitur, hoc robur sentiet. Accedit, quod praesenti tempore oppositio, quae inter verba *σθένουσα μηδὲν* et *ἰσχύειν δόκει* intercedit (cf. Bacch. 332), acerbius effertur quam futuro. cf. etiam Weckleini stud. Eur. p. 416.

975. Hecuba Helenam refellens, quae dearum certamen in suum favorem verterat, dicit:

---

[1]) *οὐ μή* cum futuro conjunctum hac sententia poni negat Nauckius ad Soph. Oed. Col. 848 Elmslejum ad Med. p. 252 secutus, sed cf. Eur. Phoen. 1590, Bacch. 852, Soph. El. 1052. Plat. Crit. 44B. Grammatici hanc dicendi formulam per ellipsin notionis timendi expedire solent, ita ut valeat *οὐ δεινὸν μή*. Tum igitur Hecuba gauderet, quod Hectorem nihil ab inferis excitare possit. Qui sensus est nullus. Sed ut nostro loco ita saepius contraria notio atque timendi — notio nimirum sperandi vel optandi — ad *οὐ* subaudienda est, cf. Plat. Crit. 44B. Phaed. 66B. Xen. Cyr. III, 2, 8. Rectius igitur judicavisse crediderim Kviçalam in annal. gymn. Austr. a. 1856 p. 832, *μή* sua propria arcendi vi positum ad negationem augendam inservire.

αἳ παιδιαῖσι καὶ χλιδῇ μορφῆς πέρι

ἦλθον πρὸς Ἴδην. πρὸς P. ἐπὶ V. Kirchhoffius non dubitat, quin πρὸς a correctore profectum Vaticanique scriptura ex ἤλυθον ἐπ' Ἴδην corrupta sit. Etiam Nauckius in ejus partes transiit. Sed quanquam concedo, facile pro ἤλυθον scribi potuisse ἦλθον, tamen alia ratio discrepantiae explicandae haud minus probabilis mihi videtur. Nam in ἐπὶ c. acc. per se inest notio ascendendi, quae notio nostro loco, .cum de monte ascendendo agatur, requiritur. Qua notione cum πρὸς cum acc. plerumque careat, facillime sane fieri potuit, ut ἐπὶ ab librario superscriberetur idque in V in ipsum textum irreperet. Neque vero desunt exempla, quibus pateat, etiam πρὸς c. acc. hanc ascendendi notionem inesse posse. cf. Soph. Phil. 1430. Oed. Col. 381. Eur. Alc. 503, fr. 1027. Itaque cum etiam scholiasta legerit ἦλθον πρὸς Ἴδην, hanc lectionem veram habeo.

1228. Chorus cum Hecuba κόμμον faciens cantat:

στέναζε, μᾶτερ ΕΚ. αἰαῖ
ΧΟ νεκρῶν ἴακχον. ΕΚ. οἴμοι μοι.

Cum grammatice utraque lectio aeque apta sit, tantum ex metro utra praeferenda sit, dijudicare possumus. De dispositione autem hujus commi homines docti inter se dissentiunt. Seidlerus enim vs. 1226—30 et 1235—39 in binas strophas et antistrophas disponit, quam tamen distributionem, ut alia taceam, ideo non probo, quia vs. 1216—18 ab omni responsione excluduntur. Rectius Hermannus et Kirchhoffius versus divisisse mihi videntur, quorum ille vs. 1216—18 et 1226—28 se respondere vult, sequentia usque ad v. 1230 epodum constituens, hic primum et ipse v. 1216—18 et 1226—28 stropham et antistropham habet, tum vero usque ad v. 1239 novam stropham et antistropham constituit, ante v. 1228 lacuna

trium versuum et ante v. 1230 lacuna unius versus statuta. Sed has lacunas sententiarum connexu postulari mihi persuadere non possum eaque de causa Hermannum sequi malim. Sed in singula nunc non inquiro. Agitur tantum d. v. 1228, in quo sive Hermanni, sive Kirchhoffii distributionem probas, Palatini lectio vera videtur esse. Ex Kirchhoffii enim sententia v. 1227 respondet versui 1235 *ἄρασσ' ἄρασσε κρᾶτα*, sin vero cum Hermanno facimus, versumque 1227 primum versum epodi habemus, verisimile est, tres versus, qui epodum efficiunt, metro non graviter differre. Atque cum tertius e dochmiis constet, secundus e jambis, quos cum dochmiis persaepe conjunctos esse constat, etiam primum versum jambicum dimetrum esse, qui efficitur lectione *στέναζε*, maxime credibile est. Sed etiamsi cum recentioribus editoribus responsionem omnino non statuamus, ut idem metrum continuetur, lectio *στέναζε* praeferenda erit. cf. etiam Herc. 914, 1065.

1242 Hecuba summo dolore afflicta ea re se consolatur, quod cladem Trojanorum posteri carminibus celebraturi sint:

*εἰ δ' ἡμᾶς θεὸς*
*ἔστρεψε τἄνω περιβαλὼν κάτω χθονός,*
*ἀφανεῖς ἂν ὄντες οὐκ ἂν ὑμνηθεῖμεν ἂν*
*μούσαις ἀοιδὰς δόντες ἀφθίτους βροτῶν.*

Ita edidit Nauckius. — Pro *ἔστρεψε τἄνω* V praebet *ἀφανεῖς ἂν ὄντες*, quod aperte errore ex versu qui sequitur, illatum est. Porro in v. 1245 P exhibet *δόντες ὑστέραν*, V *διδόντες ἀοιδοῖς*. De priore discrepantia dicendum non est, cum Palatini lectio, quam Dindorfius nulla causa allata interpolatori adscribit, sententiae optime conveniat. Majus negotium altera facessit. In qua et ipsa *ἀοιδοῖς* Vaticani errore ex *ἀοιδὰς* quod praecedit, corruptum esse

(de quo corruptelarum genere cf. Piersoni verisim. p. 224, Nauck. stud. II, p. 152) mihi quidem multo verisimilius videtur quam quod Weckleinus statuit, *ἀοιδὰς* glossema esse verbi *μούσαις*, ita ut versus scribendus sit *μοῦσαν διδόντες ὑστέραν ᾠδοῖς βροτῶν*, in qua lectione *μοῦσαν ὑστέραν ᾠδοῖς* pro *μοῦσαν ὑστέροις ᾠδοῖς* mirum quantum displicet; nam res canenda (*μοῦσα*) jam tum exstat, canentes posteris temporibus evadent.

Nauckius e conjectura dedit *ἀφθίτους βροτῶν*, cum ante in stud. pag. 163 liberius etiam *μούσαις ἀοιδὰς ἐνδιδόντες ἀφθίτους* conjecisset. Sed ego quidem credo, Palatinum formam quidem falsam, rectum tamen vocabulum praebere, dativumque *ὑστέροις* jam in Aldina recte correctum esse. cf. Suppl. 1225 *ᾠδὰς ὑστέροισι θήσετε* Od. 8, 580 *ἵνα ᾖσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή*. Theogn. 251. Theokr. XII, 11. Quanquam his melioribus lectionibus sententia totius loci haudquaquam sanatur, quae eo maxime claudicat, quod enuntiatum condicionale, si logica spectamus, repugnat enuntiato primario. Kirchhoffius quidem in I editione hanc contradictionem negavit, sed eum satis refellit Nauckius l. i. p. 164. Recentiores plerumque H. Stephani conjecturam *εἰ δὲ μὴ* amplexi sunt, sed ne hac quidem sententiam ad rem accommodatam existere recte monet Tyrrellius. Accedit, — id quod etiam Nauckium p. 164 offendit — quod sententia versus 1244 *ἀφανεῖς ἂν ὄντες οὐκ ἂν ὑμνηθεῖμεν ἄν* absurdum aliquid habet, quod eo magis displicet, quia sententia quae sequitur *ἀοιδὰς δόντες κ. τ. λ.* (ad quam *οὐ* subaudiendum cf. v. 172, 633) non multo differt ab antecedenti enuntiato. Atque in illo ipso v. 1244 ter repetitur particula *ἄν*, quae cumulatio alibi apud Euripidem in eodem versu non invenitur. Quae cum ita sint, equidem crediderim, in v. 1242 recte se habere codicum lectionem *ἡμᾶς*, sed

v. 1244 ab interpolatore lacunae explendae causa additum esse. Hanc fere sententiam poëta expresserit in versu intercepto τὰ νῦν γε δυστυχοῦντες ἐσόμεθ' ἔκκριτοι Μούσαις κ. τ. λ.

Duos locos addam, ubi P vestigia verae scripturae fortasse servavit.

In v. 463 chorus Hecubae custodibus succlamat: οὐ δεδόρκατε δέσποιναν ὡς ἄναυδος εἰς ᾅδην πίτνει; ᾅδην P. πέδον V. Vaticani lectionem omnes editores in textu posuerunt, cum aptissima sit, altera ne intellegi quidem possit. Sed non facile intelligitur, quomodo ᾅδην ex πέδον nasci potuerit; neque enim errore facile corrumpi potuit, neque credibile est, interpretem consulto id adscripsisse, quoniam aperte ab iis quae sequuntur abhorreat. Itaque conjectura in promptu, ᾅδην a grammatico Vaticani correctum esse in πέδον, olim vero scriptum fuisse γαῖαν, cuius reliquae in P remanserint. cf. And. 1152 ὡς δὲ πρὸς γαῖαν πίτνει, Bacch. 744, Phoen. 1417 Troad. 1319.

893. πίμπρησι δ' οἴκους. Sic V. πίμπρησι δι' οἴκους P. Cum particula δὲ in enumeratione non opus sit, ΔΙ fortasse corruptum ex Ν, ut scribendum sit πίμπρησιν, quae est conjectura Dobraei (adv. IV p. 89).

Loci, quos modo tractavimus, una cum iis quos Nauckius l. i. p. 127 enumeravit, satis demonstrabunt, futuro Troadum editori Palatinum ad fabulam recensendam eodem loco esse habendum atque Vaticanum.

## Caput tertium.

Tertium caput complectetur quosdam Troadum locos, quos partim re vera corruptos, partim minus recte ab hominibus doctis corruptos habitos esse censeo. Illos ipse conjecturis sanare, hos ab aliorum inventis defendere recteque explicare studebo. Qua in re haudquaquam mihi

in animo est, cum iis viris contendere, qui sagacitate doctrinaque egregie de Euripide meruerunt, verum si uni vel alteri loco me profuisse periti existimabunt, non poenitebit laboris eum, qui lectionem pro virili parte sublevare cupiens plura incassum procudisse censeatur. Quod vero in hac quoque scriptionis parte inprimis Naucki studia Euripidea respiciam, tantum debitum honorem tribuam operi illi doctrina et judicii elegantia ita insigni, ut praeter codices quasi fundamentum haberi possit earum fabularum ad quas pertinet emendandarum.

v. 48 sq.:

*ἔξεστι τὸν γένει μὲν ἄγχιστον πατρὸς*
*μέγαν τε δαίμον᾽ ἐν θεοῖς τε τίμιον*
*λύσασαν ἔχθραν τὴν πάρος προσεννέπειν;*

Verba sunt Minervae a Neptuno petiturae, ut secum Graecos perdat. Atque primus versus breviter atque eleganter Neptunum, quem Minerva alloquitur, designat, ut nulla amplificatio hujus allocutionis desideretur. Eum enim qui Jovi genere proximus est, summa potentia summisque honoribus uti, sua sponte intelligitur. Offendo igitur in versu, qui sequitur, qui cum id quod jam inest in versu superiore expressis verbis addat, illius versus, qui si solus legeretur, Aeschyli brevitatem et granditatem aequaret, vim vehementer infringit. Quae offensio non tollitur, etiamsi cum Dobraeo legamus *μέγαν δὲ δαίμον᾽ κ. τ. λ.* Quid? quod versu deleto comparet diverbii concinnitas, quam Euripidem adamasse constat? Utuntur enim jam Minerva et Neptunus primum quinquies binis, tum ter singulis versibus[1]). Neque in obscuro est origo

[1]) Consulto cavimus ne versuum aequabilitate pro argumento uteremur ad versum 49 spurium comprobandum; prima enim verba personae primum in scaenam prodeuntis longiora esse quam ea quae sequuntur per se non mirum est.

illius versiculi; grammaticus enim granditate versus 48 parum perspecta eum addidisse videtur, cum crederet, particulae *μὲν* utique respondere debere *δέ*. *Μὲν* autem cum vocem *γένει* augeat, effert majestatem dei.

139. Hecuba in carmine anapaestico de se dicit:

*ὤμοι θάκους οὓς θάσσω*
*σκηναῖς ἔφεδρος Ἀγαμεμνονίαις.*

Hunc versum, in quo quinque breves syllabae se excipiant, corruptela laborare apparet. Bothius, quem sequitur Hermannus metrum restituit scribens *ἐφέδρους*; sed hoc vocabulum tantum de personis videtur usurpatum esse. cf. Jon. 202, Phoen. 1095. Rhes. 119 ib. 954. Praestabit igitur scribere *σκηναῖς Ἀγαμεμνονίαις ἔφεδρος*. De caesura neglecta cf. Christ. Metr. § 292 adn.

233. Talthybio adveniente chorus exclamat:

*τί φέρει; τί λέγει; δοῦλαι γὰρ δὴ*
*Δωρίδος ἐσμὲν χθονὸς ἤδη.*

In priore versu offendit Nauckius stud. II p. 164, quia neque conjunctio particularum *δὴ* et *ἤδη* ferri posset, neque enuntiatum causale conveniret interrogationibus, quae praecederent. Conjecit igitur *μῶν δείλαιαι* pro *δοῦλαι γὰρ δή*. Jam si examinamus causas illas Nauckii, priorem satis temere videtur posuisse. Nam etiamsi concedam tribus eorum locorum quos Nauckius affert — dico Med. v. 1292, Alc. 94 et 132 — sive in libris sive ab hominibus doctis particulas illas false esse copulatas, tamen alia restant exempla hujus conjunctionis a Nauckio omissa, quibus corruptelam subesse nulla est causa cur statuatur. Dicit enim Xenoph. Oec. 9, 6 *ἐπεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν, ἔφη, οὕτω δὴ ἤδη κατὰ φυλὰς διεκρίνομεν τὰ ἔπιπλα*, dicit Plato Phaedr. 277 *νῦν δὴ ἐκεῖνα ἤδη . . . . δυνάμεθα κρίνειν, τούτων ὁμολογουμένων*, legimus porro Arist. Lys. 523 *ὅτε δὴ δ'*

ὑμῶν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς φανερῶς ἠκούομεν ἤδη. Nec non afferri potest versus ille ex Ar. Acharn. 311 a Nauckio in suam sententiam allatus ταῦτα δὴ τολμᾷς λέγειν ἐμφανῶς ἤδη πρὸς ἡμᾶς; cum Dobraei conjectura οὕτω pro ἤδη sententia omnino non requiratur. Quibus exemplis allatis, si quis causam desiderat, cur Graeci has particulas, quarum ἤδη ex δή nata est, copulaverint, relego ad Helleri epistolam ad Dunkerum de particulis ἤδη et δή philologi vol. VIII insertam, ubi p. 307 haec conjunctio eo explicatur, quod Graeci saepius verba, nulla originis ratione habita, ad res a propria significatione alienissimas applicaverint. Praeter exempla ibi allata etiam particularum μῶν et οὖν, quarum illam ex μὴ οὖν ortam esse constat, copulatio comparari potest, quae interdum invenitur, velut Choeph. 175, Eur. Andr. 82. Itaque neque nostro loco, neque in Troad. versu 1272 sq. per se in conjunctis illis particulis offendendum est.

Gravior tamen altera causa Naucki est, conjunctionem γὰρ explicari non posse. Cogitavi quidem, post interrogationes subaudiri posse hanc fere sententiam „quidquid Talthybius imperabit, nobis parendum est", ut pergerent mulieres „nam jam sumus servae Graeciae". Verum haec explicatio tantum ferri posset, si Δωρὶς χθών re vera universam Graeciam designaret. Sed cum Δωρίς alias semper apud Euripidem ad Spartanos pertineat (cf. Hec. 934, ib. 450, Jon. 1590), haec interpretatio etiam nostro loco retinenda erit. Tum vero Troades non pro certo dicere possunt, se Lacedaemoniorum esse, sed timere tantum, ne his tributae sint. Atque consentaneum est, praecone adveniente choro eundem timorem redire, quo vexatur in v. 210 canens μὴ γὰρ δὴ δίναν γ' Εὐρώτα sc. ἔλθοιμεν. Sententam quae requiritur Nauckius conjectura sua μῶν δείλαιαι κ. τ. λ. recte assecutus est; sed

hanc lectionem corruptam esse in eam quam libri exhibent, nemini persuadebit. Mihi igitur satius videtur statuere, ante *δὴ* particulam *μὴ* excidisse, quo facto ut metro consuleretur id suggestum est quod nunc legimus. Proprium igitur erat, ni fallor, *μὴ δὴ δοῦλαι Δωρίδος ὦμεν χθονὸς ἤδη*. cf. Soph. Oed. Col. 174 *ὦ ξεῖνοι, μὴ δῆτ' ἀδικηθῶ.* Troad. v. 173. Krügeri gr. gr. § 54, 8, 13.

350. Hecuba Casandram bacchantem deque nuptiis suis exsultantem sedatura dicit:

*παράδος ἐμοὶ φῶς· οὐ γὰρ ὀρθὰ πυρφορεῖς*
*μαινὰς θοάζουσ', οὐδέ σ' αἱ τύχαι, τέκνον,*
*ἐσωφρονήκασ', ἀλλ' ἔτ' ἐν ταὐτῷ μένεις.*

Cum forma *ἐσωφρονήκασ'* nulla sit, Seidlerus, quem sequitur Kirchhoffius, scripsit *οὐδὲ σαὶ τύχαι, τέκνον, σεσωφρονήκασ'*, Heath *οὐδὲ σαῖς τύχαις, τέκνον, ἐσωφρόνηκας*, Hartungius *οὐδέ σ' αἱ τύχαι τέκνον, σοφὴν ἔθηκαν.* Quas conjecturas ferri non posse Nauckius p. 138 sq. tam luculenter exposuit, ut de iis ne verbum quidem facere opus sit. Nauckius ipse inter duas conjecturas optionem dedit, aut scribendum esse *σώφρονα τεθείκασ'* aut *ἐς σῶφρον ἧχασ' κ. τ. λ.* Quae etsi sensum, quem poëta verbis inesse voluit, assequuntur, tamen si formam spectamus, minus comprobari possunt; neque enim perfectum *τέθεικα* poëtis tragicis usitatum est, neque perfecti forma *ἧχα* omnino apud Atticos invenitur (Lob. ad Phryn. p. 287). Melius igitur, nisi fallor, damnum hac conjectura sarcitur: *οὐδὲ σῇ τύχῃ, τέκνον, ἐς σῶφρον ἧκες· ἀλλ' ἔτ' ἐν ταὐτῷ μένεις.*

591:

*σύ τ' ὦ λῦμ' Ἀχαιῶν,*
*τέκνων δέσποθ' ἁμῶν*
*πρεσβυγενὲς Πρίαμε*
*κοίμισαί μ' ἐς Ἅιδου.* *δέσποθ'* V. *δέ ποτ'* P.

Musgravius primus hos versus, qui in V Andromachae continuantur, in P Hecubae tribuuntur, in Priamum non quadrare dixit. Nam neque Priamum dici posse λῦμ' Ἀχαιῶν q. s. perniciem Achivorum, neque πρεσβυγενές, quod vocabulum tantum majorem natu designaret. Itaque Palatini lectionem in δήποθ' mutans simul mutavit τ' ὦ in τοι, Πρίαμε in Πριάμῳ. Ei assensi sunt Seidlerus, Hermannus, Dindorfius. Sed recte his viris objecit Kirchhoffius, λῦμα proprie esse sordes, Priamumque ita dici posse, quia λύμη sit affectus; πρεσβυγενής vero etiam generaliter „vetus“ significare posse jam Seidlerus concessit, allato Cratini loco, ubi χρόνος dicitur πρεσβυγενής. Kirchhoffius igitur Vaticani lectionem sine mutatione edidit, simul versus secundum strophae distributionem inter Hecubam et Andromacham dividens; quod posterius rectissime certe fecit; nam ubicunque strophae et antistrophae in duas personas cadunt, ex aequo versus inter utramque dividuntur. Atque cum Andromacha Hectorem vocaverit, ut sibi praesidio veniret, Priamum ab Hecuba vocari consentaneum est. Itaque primum et postremum versum Hecuba, duos interpositos Andromacha dicere debet. Quod si recte disputatum est, illud patet Palatini lectionem δέ ποτ' corruptam esse, sed etiam Vaticani lectione recepta, sententia inepta exsistit. Nam suorum liberorum dominum Andromacham Priamum compellare non posse, recte monet Kirchhoffius. Itaque dubitari non potest, quin vitium subsit. Atque Weilius idem ratus conjecit[1]) τεκὼν φῶς ποτ' ἁμὸν πρεσβυγενές, Πρίαμε. Mihi in uno verbo ἁμῶν corruptelae sedes videtur esse quod mutaverim in ἄκρων coll. v. 475 sq, ἐγεινάμην τέκνα, οὐκ ἀριθμὸν ἄλλως, ἀλλ' ὑπερτάτους Φρυγῶν.

[1]) revue de philol. nouv. serie 1877, p. 194.

De adjectivi ἄκρος translata significatione cf. Nauck. stud. II p. 144 adn.

601. ὦ πατρὶς ὦ μελέα, καταλειπομέναν σε δακρύω, νῦν τέλος οἰκτρὸν ὁρᾷς, καὶ ἐμὸν δόμον ἔνθ' ἐλοχεύθην. Verba sunt Hecubae miseriam Trojae deplorantis. In priore versu verbum καταλειπομέναν languere neque satis convenire ei maerori eique animi motui, quem in reliquis hujus versus verbis cernamus, jure dicit Nauckius p. 144. Si poëta Hecubam id deplorantem facere voluisset, quod ex urbe sua discedere cogitur, eum usum esse activo verbi καταλείπειν consentaneum fuisset: Troja ipsa majorem profecto cladem et accepit et mox acceptura est quam quod incolis privata est. Itaque Nauckius scribi proponit κατατυφομέναν, quod tamen jam ea de causa verum non erit, quia alibi hoc verbum apud Graecos non invenitur. Melius et sensui et librorum vestigiis convenit κατερειπομέναν i. e. corruentem; quanquam enim demum in v. 1260 sq. Talthybius jubet, totam urbem incendi, tamen haud dubie jam tum cum nostri versus dicuntur, speciem intereuntis praebet; certe Hecubae et Andromachae haec species ante oculos versatur. Verbum κατερείπεσθαι eadem fere sententia qua nostro loco legitur Hec. 477 χθονός θ', ἃ καπνῷ κατερείπεται.[1])

Venio ad v. 602, qui et ipse ea clade afflictus est, quae in reliquis Hecubae verbis miserrime grassata est. In quo versu V praebet καὶ ἐμὸν, P καὶ ἐγώ. Cum altera lectio omnino intellegi nequeat — deest enim notio quae est postremo —, recentiores editores Vaticani scripturam ediderunt, cum Matthiaeo, ut videtur, supplentes καταλειπομέναν δακρύω et verba νῦν — ὁρᾷς media

[1]) Sero vidi jam dudum versum eodem modo Jacobsium emendavisse in animadvers. ad Eur. tragoed. p. 96.

interposita esse statuentes. Quod tamen ferri non potest. Nam haec verba *νῦν — ὁρᾷς* profecto non speciem habent parenthesis, sed magno animi motu dicta sunt, post quae verba *καὶ ἐμὸν δόμον* enuntiatum primarium continuantia mire claudicant; accedit — id quod etiam Nauckius monet —, quod qui versus audit facile adducitur, ut verba *καὶ ἐμὸν δόμον* ab *ὁρᾷς* quod modo praecedit struat, quae tamen constructio a sententia abhorret. Hermannus igitur et Seidlerus profecti sunt a Palatini scriptura; quorum ille scribi voluit *κἀγὼ δόμον ἔνθ' ἐλοχεύθην, ὦ τέκν' ἐρημοπόλος,* ut conjungeretur *δόμον ἐρημοπόλος*. Sed exclamationem *ὦ τέκν'* initium novae sententiae facere consentaneum est. Seidleri autem conjecturae *κλαίω δόμον ἔνθ' ἐλοχεύθην* id maxime obstat, quod sic etiam verba *νῦν — ὁρᾷς* parenthesis loco ponuntur. Palatini igitur scriptura ita tantum videtur defendi posse, ut *οἰκτρὸν* glossa habeatur genitivi substantivi alicujus (velut *ὄλβου*) atque pro *δόμον δόμου* scribatur. Sed cum *οἰκτρὸν* glossae specie prorsus careat, equidem a Vaticani vestigiis exeundum puto, ut fere scribatur *νῦν τέλος οἰκτρὸν ὁρᾷς καὶ* (etiam) *ἐμοῦ δόμου ἔνθ' ἐλοχεύθην,* quae sententia optime quadrat ad versum antecedentem quem restituimus.

665 sq. Andromacha nuptias cum Neoptolemo ineundas se quam maxime timere dicit; nam si novo marito sese dederet, Hectorem apud inferos aegre laturum esse, sin autem huic fidem servaret, illius iram se ferre debere:

*κεὶ μὲν παρώσασ' Ἕκτορος φίλον κάρα*
*πρὸς τὸν παρόντα πόσιν ἀναπτύξω φρένα,*
*κακὴ φανοῦμαι τῷ θανόντι· τόνδε δ' αὖ*
*στέργουσ' ἐμαυτῆς δεσπόταις μισήσομαι.*
*καίτοι λέγουσιν ὡς μί' εὐφρόνη χαλᾷ*

τὸ δυσμενὲς γυναικὸς εἰς ἀνδρὸς λέχος.
667 ἀπέπτυσ' αὐτήν, ἥτις ἄνδρα τὸν πάρος
καινοῖσι λέκτροις ἀποβαλοῦσ' ἄλλον φιλεῖ.

Hos versus justo ac ratione postulato ordine sese non excipere, cum Dindorfius magis sensisset quam certis verbis comprobavisset, demonstravit Nauckius p. 146, qui recte dicit, versus 669 sq. ad ea quae praecedant adjungi non posse conjunctione *ἀλλὰ*, pro qua potius *καὶ γὰρ* exspectetur. Itaque Nauckius ut nexum restitueret, versus 667 et 668 seclusit. Dindorfius longius etiam progressus totum locum inde a v. 665 usque ad v. 672 spurium habet. Quod certe audacius statuit. Etenim hi versus prorsus ingenium Euripidis sapiunt, qui nihil magis amat quam in mulierum animos inquirere earumque cogitationes cupidinesque depingere; neque si ab *ἀλλά* discedimus, in verbis numerisve quicquam inest, quod vituperari possit. Sed etiam vs. 667 et 668 a Nauckio defendere velim. Videtur enim enuntiatum a *καίτοι* incipiens non bene quadrare ad eam sententiam, qua de se ipsa Andromacha dicit. Nam cum dixerit, se aut Neoptolemo anteposito Hectorem timere debere, aut, si huic fidem servet, Neoptolemum, mirum videtur, neque moribus decorae honestaeque mulieris accommodatum, si alterum membrum hujus oppositionis statim sententia fere contraria vehementer infringitur. Exspectamus potius, optione illa inter duas res, quae sibi accidere possint, posita Andromacham dicere, utram ex natura sua praeferre malit; exspectamus — nam talem poëta Andromacham fingit — eam dicere, mores suos se jubere Hectorem novo marito praeferre. Qui sententiarum nexus tum evadet, si versus 667,68 ante 665,66 collocantur. Tum igitur Andromacha sic fere secum deliberat: „Inter duas res optio mihi data

est; Hectorine fidem servem, an novum maritum amplectar? quorum ut illud faciam, mores mei me impellunt, timeo tamen, ne infirmitas mea efficiat, ut Hectoris obliviscar: quanquam ne equus quidem ejus equi, quocum adolevit, facile obliviscetur". Hanc ratiocinationem, in qua infirmitas muliebris cum cognitione recti certat, Euripide esse dignam nemo infitias ibit.

745. Andromacha infaustas nuptias quibus cum Hectore juncta fuerit questa

*ὦ λέκτρα*, inquit, *τἀμὰ δυστυχῆ τε καὶ γάμοι,*
*οἷς ἦλθον εἰς μέλαθρον Ἕκτορός ποτε.*

Cum particulae *τε καὶ* tum tantum duas notiones conjungere intellegeret, si nihil aliud interponeretur, Reiskius *τε* in *γε* mutavit. Sed in hac scriptura alterum substativum magis etiam languet quam in codicum lectione. Recentiores igitur critici pro *γάμοι* alterum adjectivum quaesiverunt, quod et ipsum ad *λέκτρα* referretur. Velut Heimsoethius *πικρά* conjecit. Hoc vel simile quid poëtam scribere potuisse minime negabo, sed cum conjunctio verborum *λέκτρα* et *γάμοι* poëtae usitata sit (cf. Jon. 1093), nescio an scripserit *δυστυχεῖς τ' ἐμοὶ γάμοι.* cf. etiam El. 49 *γάμους ἀδελφῆς δυστυχεῖς.*

826. Chorus se carissimos propinquos amisisse hisce deplorat:

*ᾐόνες δ' ἅλιαι*
*ἴαχον· οἷον οἰωνὸς*
*ὑπὲρ τέκνων βοᾷ,*
*αἳ μὲν ἄορας, αἳ δὲ παῖδας,*
*αἳ δὲ ματέρας γεραιάς.*

Sic in V scriptum est; P pro *ᾐόνες* etc. praebet *κίονες ἅλιαι ἴσχον* et pro *τέκνων τοκέων.* Ex postrema discrepantia Kirchhoffius jam conclusit, olim scriptum fuisse *τεκέων*; reliqua in P aperto errore mutata sunt. Sed

etiam Vaticani lectionibus receptis restant, quae difficultates parent. Primum enim quaeritur, qua tandem re ripae sonuerint. Clamoribus mulierum, dices. Sed tum pro imperfecto praesens tempus poni debebat; nam tunc ipsum mortuos deplorant. Quod intellegens Seidlerus *ἰαχοῦσ'* scripsit, idemque — idque eum recte fecisse credo[1]) — post *οἷον δ'* inseruit et *ὑπὲρ* ante *οἰωνὸς* posuit. Altera autem conjectura numeris versus antistrophici 847 spernitur, in quo Seidlerus audacius verba *τᾶς δὲ* transposuit. Accedit, quod sic etiam difficultas restat in eo posita, quod verba *αἳ μὲν κ. τ. λ.* nimis pendent, cum complectens subjectum desit, ad quod distributive sese applicent, quae res durior est, quod praedicatum horum pronominum ex *βοᾷ*, quod praecedit, supplendum est. Quibus de causis, quanquam per se imago riparum sonantium non displicet, (Il. XXI, 10) crediderim pro *ἴαχον* scribendum esse *ἰάχομεν*, ut subjecto hujus verbi pronomina *αἳ μὲν . . . . αἳ δὲ* sese subjungant. In versu superiore quid poëta scripserit vix certo erui poterit; conjicio tamen *ἠιόσιν δ' ἀλίαις* (Kr. gr. gr. II, 46, 2, 2).

901.

*οὐκ εἰς ἀκριβὲς ἦλθες, ἀλλὰ πᾶς στρατὸς*
*κτανεῖν ἐμοί σ' ἔδωκεν, ὅνπερ ἠδίκεις.*

In priore versu Fechtius in progr. scholast. Friburg. a. 1884 p. 21 *ἀκριβὲς* recte contra Nauckium defendisse videtur; equidem in eodem versu *ἦλθες* tuear contra Tyrrellium, qui ex scholiis *ἦλθεν* scripsit, ut subjectum hujus verbi *στρατὸς* esset. Neque enim dubito, quin explicationem scholiastae pro lectione, quam ille ante oculos

[1]) Arridet tamen etiam Fechtii conjectura *οἰωνὸς ὣς ὢν ὑπὲρ τεκέων βοᾷ*, quam publici juris fecit in progr. Friburg schol. a. 1884 pag. 21.

habebat, prave acceperit. Nam Helenam in judicium non venisse passivo sensu non minus apte dici potest, quam exercitum activo sensu; atque collocatio vocis *στρατὸς* satis significat, illud poëtam dixisse. cf. etiam Hipp. 946 *ἐπειδή γ' εἰς μίασμ' ἐλήλυθας.* Jon. 404 *ἀφίκου δ' εἰς μέριμναν.* ib. 583. Med. 1306 *οὐκ οἶσθ' οἷ κακῶν ἐλήλυθας.* Phoen. 195. 879.

910. Hecuba Menelao de Helena dicit:

*συντεθεὶς δ' ὁ πᾶς λόγος*
*κτενεῖ νιν οὕτως ὥστε μηδαμῶς φυγεῖν.*

In *κτενεῖ* offendit Weckleinus in stud. p. 414. Recte; nam acerbissima nex, quae significatur vocabulo *οὕτως*, non magis impedit, ne Helena effugiat quam lenis moriendi ratio. Vereor tamen ut W. conjectura *τενεῖ* poëtae scripturam restituerit. Semper enim *τείνειν* vim habet tendendi, prosternere tantum compositum *ἐκτείνειν* significat, ut Med. 585, Phoen. 1421. Vide igitur ne emendandum sit *θενεῖ νιν κ. τ. λ.*

918. Helena Menelai criminibus respondens dicit:

*ἐγὼ δ', ἅ σ' οἶμαι διὰ λόγων ἰόντ' ἐμοῦ*
*κατηγορήσειν, ἀντιθεῖσ' ἀμείψομαι*
918. *τοῖς σοῖσι τἀμὰ καὶ τὰ σ' αἰτιάματα.*

Versus 918 tautologiam continet, cum *ἀντιθεῖσα* et dativum *τοῖς σοῖσι* et accusativum *τὰ σὰ* secum habeat. Nam ne dativum referamus ad enuntiatum relativum, quod praecedit, non modo verborum collocatione prohibemur, sed etiam sententia, quoniam notio pronominis possessivi jam in ipsa illa sententia relativa continetur. Accedit, quod elisionem pronominis *σὰ*, quod pronomini primae personae opponitur, vix excusari potest. Itaque persuasum teneo, locum vitium contraxisse. Neque illud dubito, quin Herwerdenus recte corruptelae sedem in verbis *καὶ τὰ σ'* quaesierit; nam dativus *τοῖς σοῖσιν* aptissime pendet a

verbo ἀντιθεῖσα, cum ab enuntiato relativo, etiamsi in pronomen demonstrativum mutaretur[1]), collocatione nimis remotus sit. Neque aliud vocabulum cogitari potest, quod ejus loco poëta scripserit. Sin vero Herwerdenus his de causis πάνδικ' proponit, hoc nimis recedit a codicum vestigiis; ad quae propius accedimus, si scribimus δὶς τόσ'. cf. Eur. Med. 1047, 1134, 1194. Her. 293. El. 1092. Cycl. 147 fragm. 985.

937. ἐξ ὧν ἐχρῆν με στέφανον ἐπὶ κάρᾳ λαβεῖν. Nauckius p. 150 pro ἐπὶ κάρᾳ conjecit εὐκλείας quia illius dictionis exempla deessent causaque cur Casandra coronari vellet, desideraretur. At praeter Iph. Aul. v. 1080 σὲ δ' ἐπὶ κάρα στέψουσι καλλικόμαν a Nauckio ipso allato conferri potest Med. 1065 καὶ δὴ 'πὶ κρατὶ στέφανος. Cyclop. v. 518 στεφάνων δ' οὐ μία χροιὰ περὶ σὸν κρᾶτα τάχ' ἐξομιλήσει, qui loci nostrum satis tuebuntur; nam non victimae, sed victricis coronam Casandram sibi vindicare e nexu sententiarum intelligitur.

963. Helena Menelao dicit:

πῶς οὖν ἔτ' ἂν θνήσκοιμ' ἂν ἐνδίκως, πόσι,
πρὸς σοῦ δικαίως, ἣν ὁ μὲν βίᾳ γαμεῖ,
τὰ δ' οἴκοθεν κεῖν' ἀντὶ νικητηρίων
963. πικρῶς ἐδούλευσ';

Versum 962 sq. recte explicuisse credo Tyrrellium, qui ἐδούλευσ' intellegit ἐδούλευσα, ut τὰ δ' οἴκοθεν accusativus relationis sit, qui pertineat ad Deiphobum, tertium Helenae maritum, neque nominativus ad indolem Helenae pertinens. Praeter causas quas Tyrrellius affert haec explicatio eo quoqne commendatur, quod sic verbis ὁ μὲν ea respondent, quae ex logica ratione respondere exspectamus. Nescio tamen an poëta, ut ambiguitatem

[1]) Similiter judicat Koch, de anacoluthis apud Euripidem p. 17.

evitaret, *τὰ δ' οἴκοθεν καίν'* scripserit. cf. v. 959. Hel. 1399 *ὦ καινὸς ἡμῖν πόσις.*

Inde a v. 988 Hecuba exponit, qui factum sit, ut Helena Paridem sequeretur:

*ὁ σὸς δ' ἰδών νιν νοῦς ἐποιήθη Κύπρις.*
*τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς,*
*καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.*

991. *ὃν εἰσιδοῦσα βαρβάροις ἐσθήμασι*
*χρυσῷ τε λαμπρὸν ἐξεμαργώθης φρένας.* Sic P. V. *ὃν . . . ἰδοῦσα.* Verbum *εἰσιδοῦσα,* quod P praebet, per se aptissimum esset, sed cum relativum *ὃν* ferri non possit, verisimile est, majorem corruptelam subesse. Nam fieri non posse, ut hoc pronomen ad *νιν,* a quo compluribus enuntiatis sejunctum est, referatur, recte monuit Nauckius l. i. p. 159. Kirchhoffius in ed. II conjecit *οὐκοῦν ἰδοῦσα* aut *σὺ δ' οὖν ἰδοῦσα,* Nauckius ipse vestigiis codicis Havniensis, qui praebet *ὃ σύγ' ἰδοῦσα,* insistens scripsit *σὺ γοῦν ἰδοῦσα.* Sed cum illa Havniensis scriptura haud dubie e conjectura profecta sit[1]), Nauckius non magis ad vestigia tradita accedit quam Kirchhoffius. Sententiam vero quae requiritur nulla harum conjecturarum assecuta esse mihi videtur. Res enim ita se habet. Hecuba primo loco pulchritudinem Paridis effert eaque dicit Helenam ita captam esse, ut stulte ageret, i. e. ut maritum desereret. Nam verba

---

[1]) De hoc enim codice stat judicium Wilamowitzii in anal. Eur. p. 2 et 207 et Prinzii in edit. Med. p. IX. In Troadibus ex Kirchhoffii adnotatione 97 locos numeravi, quibus a Vaticano recedit, quorum plurimi ita comparati sunt, ut Havniensis scriptor Vaticani lectiones aut consulto interpolaverit aut errore mutaverit. 18 tantum locis Vaticani errores correxit atque bis (v. 226 *Κρᾶθις,* 636 *κείνῃ δ' ὁμοίως* pro *ἐκείνῃ σ' ὁμοίως*) ita, ut solus omnium veram scripturam exhibeat.

τὰ μῶρα γὰρ etc. ad ea quae sequuntur cum Nauckio referre non possumus, quia in his agitur de avaritia Helenae, quae profecto non amore excitata est. Hoc potius alterum momentum est, cur Helena ab officio descierit. Primum corpore Paridis, tum vero divitiis ejus adducta est ad illum sequendum. Qua ratiocinatione adducor, ut poëtam scripsisse conjiciam ὁμοῦ δ' ἰδοῦσα κ. τ. λ. cf. Soph. Tr. 210. El. 715.

1057. Menelaus Hecubae pollicitus, Helenam aliam ac se navem conscensuram esse, sic pergit:

ἐλθοῦσα δ' Ἄργος ὥσπερ ἀξία κακῶς
κακὴ θανεῖται· καὶ γυναιξὶ σωφρονεῖν
πάσαισι θήσει· ῥᾴδιον μὲν οὐ τόδε κ. τ. λ.

In v. 1057 Nauckius (mélanges Gr.-Rom. III. p. 157) pro θήσει conjecit φήσει idque in ipsum textum recepit. Sed hanc conjecturam, quamvis et facillima sit et optime sententiae conveniat (cf. Nauck. ad Soph. Ajac. 1047), necessariam esse nego. Nam τιθέναι τι πάθος τινι Graecos dixisse inter omnes constat, ut fere non opus sit exempla afferre; cf. tamen Suppl. 1208 φόβον γὰρ αὐτοῖς δειχθεῖσα θήσει. Alc. 623 πάσαις δ' ἔθηκεν εὐκλεέστερον βίον. Med. 383. Nihil igitur esset quo offendi posset, si accusativus substantivi positus esset. Verum τιθέναι constructum est cum infinitivo et dativo personae, quam constructionem usitatam non esse concedam oportet. Infinitivum enim constat a verbis transitivis pendentem duobus muneribus fungi, primum enim iis verbis quae jam objectum secum habent, additur ad significandum, quem ad finem actio primariae sententiae spectet (v. Hebold, de infinitivi apud Eurip. syntaxi diss. Hal. 1881 p. 20), cui generi nostrum locum subjungi non posse patet; deinde vero — idque longe maxime — infinitivus verbo ita additur, ut ipse objecti munus sus-

cipiat. Atque hoc modo primum ponitur post verba voluntatis quaeque contrariam vim habent, deinde post verba sentiendi et declarandi, denique post verba, quae significant facultatem habere et facultatem dare alicui. Ad hanc tertiam classem ex verbis transitivis etiam ea pertinent, quae significant facere, efficere, quo in numero est *τιθέναι*. Quae tamen verba, si cum infinitivo struuntur, non dativum personae secum habere solent, sed accusativum. cf. Hec. 357 *πρῶτα μέν με τοὔνομα θανεῖν ἐρᾶν τίθησιν*. Heracl. 990. *Ἥρα με κάμνειν τήνδ' ἔθηκε τὴν νόσον*. Bacch. 301. Med. 718. Jon. 75. El. 1304. fragm. 645, 1061. Dativus cum inf. post *τιθέναι* rarissime invenitur, sed invenitur tamen. Apud Euripidem ipsum hujus structurae exemplum legitur, quod nostrum locum satis defendit. Herc. 221

*ὃς εἷς Μινύαισι πᾶσι διὰ μάχης μολὼν*
*Θήβαις ἔθηκεν ὄμμ' ἐλεύθερον βλέπειν.*

Atque ut eadem structura nostro loco uteretur, fortasse ipse infinitivus *σωφρονεῖν* poëtam adduxit. Saepe enim Graeci, si actionem modi gerendi magis quam notionem exprimere volunt, infinitivum *σωφρονεῖν* pro substantivo ponunt. cf. Eur. El. 923, Iph. Aul. 825. Hipp. 1034. Soph. Aj. 1243. Itaque et Nauckii conjectura *φήσει* et Tyrrelli *ἐνήσει* nos carere posse existimo.

1070. Chorus de Ida monte inde a v. 1067:

*Ἰδαῖά τε*, inquit, *Ἰδαῖα κισσοφόρα νάπη*
*χιόνι κατάρυτα ποταμίᾳ*
*τέρμονά τε πρωτόβολον ἁλίῳ*
*τὰν καταλαμπομέναν ζαθέαν θεράπναν.*

Participium *καταλαμπομέναν*, etsi etiam in Jon. v. 87 de montibus sole illustratis usurpatur, hoc loco languere recte perspexisse credo Musgravium. Etenim Idae monti

solem prae ceteris favere et versus 1069 demonstrat et alii veterum loci. cf. Lucr. V, 661 sq.

quod genus Idaeis fama est e montibus altis
dispersos ignis orienti lumine cerni,
inde coire globum quasi in unum et conficere orbem.

Pomp. Mela II, 18: pene a media nocte spargi ignes passimque micare, et, ut lux appropinquat, ita coire ac se conjungere videntur. Itaque nescio an Euripidi reddendum sit *περιλαμπομέναν*, quanquam hoc compositum apud tragicos non invenitur.

1133. Talthybius Hecubae narrat, Neoptolemum navem solvisse cumque eo Andromacham profectam esse; tum pergit in v. 1133

*καί σφ᾽ ἠτήσατο*
*θάψαι νεκρὸν τόνδ᾽, ὃς πεσὼν ἐκ τειχέων*
*ψυχὴν ἀφῆκεν Ἕκτορος τοῦ σοῦ γόνος,*
*φόβον τ᾽ Ἀχαιῶν, χαλκόνωτον ἀσπίδα*
*τήνδ᾽, ἣν πατὴρ τοῦδ᾽ ἀμφὶ πλευρ᾽ ἐβάλλετο,*
*μή νιν πορεῦσαι Πηλέως ἐφ᾽ ἑστίαν κ. τ. λ.*

Ne hoc quidem loco Nauckium recte judicavisse censeo. Qui cum Seidlerum secutus putaret *σφε* neque ad Neoptolemum neque ad Astyanactem referri posse, pag. 162 conjecit *κἄμ᾽ ἠτήσατο*, ut Talthybius diceret, Andromacham se rogavisse. Cui conjecturae etsi prima rogatio Hecubae optime convenit, tamen repugnat altera. An vero Talthybius de Hectoris scuto decernere potest? Num ei convenit illud in Pelei domum ferre vel permittere, ut Trojae relinquatur? Hoc profecto Andromachae ipsi convenit, vel potius Neoptolemo, cui propter patris memoriam Hectoris arma tributa esse facile conicias. Neque infinitivi, qui Seidlero et Nauckio ansam suspicionis praebent, quominus *σφε* genuinum habeamus obstant. Recte enim Matthiaeus adnotat, infinitivum a verbis rogandi

pendentem veniam aliquid faciendi exprimere posse, coll. Med. v. 775, Hel. v. 1057. Quod vero Nauckius insuper obicit, Talthybium non significare, cur Hecubam in puero sepeliendo adjuvet, parum respexit vs. 1050 et 1054 sq. Commovetur enim et animo misericordi, quem per totam fabulam erga Troades captas praestat et studio quam celerrime proficiscendi.

1171 sq. Hecuba Astyanactem deplorat, quod indigna morte decesserit neque eas delicias quae regibus contingere soleant, expertus sit:

*νῦν δ' αὔτ' ἰδὼν μὲν γνούς τε τῇ ψυχῇ, τέκνον,*
*οὐκ οἶσθ', ἐχρήσω δ' οὐδὲν ἐν δόμοις ἔχων.*

Frustra adhuc laborarunt, qui haec verba explicare studuerunt, in qnibus Seidlerus adnotat: Plena oratio haec esset: „*νῦν αὐτὰ ἰδὼν γνούς τε οὐκ οἶσθα ἰδὼν καὶ γνούς*, vidisti quidem illa, sed nescis te vidisse". Cui explicationi participium *γνούς* utique adversatur; nemo enim quod cognovit nescit. Paullo aliter Tyrrellius locum expedire studet, qui verbis *σῇ ψυχῇ* cum *οὐκ οἶσθ'* conjunctis vertit: „you have seen and known what it is to be a king, but you do not know it in your own person, and you never experienced that rule which was your heritage". Sed ut mittam, hanc verborum conjunctionem collocatione non commendari, maxime Tyrelli explicatio eo refellitur, quod dativus *σῇ ψυχῇ* grammatice expediri nequit; neque enim *σῇ ψυχῇ* pro *ἐν σῷ βίῳ* dici, neque pro dativo commodi haberi potest, cum quo *εἰδέναι* nusquam conjungatur. Itaque haud dubie *σῇ ψυχῇ* cum *γνούς* conjungendum est, cf. Demosth. XXI, 221 *τί δή ποτε; ὅτι τῇ ψυχῇ τοῦτ' οἶδε κ. τ. λ.* Vitium igitur subesse plurimi critici intellexerunt, sed inter se disceptant, quibus in verbis quaerendum sit. Atque Cronius quidem, qui conjecit *οὐδὲ γνοὺς ψυχῇ, τέκνον,* a vero

haud dubie aberravit: qua conjectura vis ejus enuntiati quod incipit ab ἐχρήσω δ' nimis infringitur, puerum enim iis rebus quas ne novit quidem usum non esse sua sponte apparet. Nec magis ferri potest quod Munro proposuit *νῦν δ' αὔτ' ἰδὼν μὲν γνοὺς τε σὰ ψυχῇ, τέκνον, οὐκ ᾔσθ', κ. τ. λ.*, qua conjectura, etiamsi σὰ pro σὰ ὄντα et εἶναι cum duplici participio ferremus, tamen et ipsa efficitur, ut alterum enuntiatum vehementer claudicet. Ipsa particula δὲ, quae ἐχρήσω sequitur, demonstrare videtur, ab hoc verbo alterum enuntiatum priori oppositum incipere. Itaque non dubito, quin illis viris rectius Hartungius perspexerit, vitium solum inesse in initio versus 1172. Sin autem conjicit σύνοισθ', facere non possumus, quin cum hoc verbo participia conjungamus, quo fit sensus ineptus, quoniam de mortuo homine agitur. Dindorfius, qui hoc recte monet, mavult Hartungium scripsisse κάτοισθ', id quidem recte sentiens, verbum sentiendi vel similis significationis sine negandi particula requiri. Quae sententia eo confirmatur, quod Hecubae hoc loco non interesse potest, puerilem aetatem Astyanactis, in quo omnis spes Trojae posita erat, efferre. Sed pro κάτοισθ', quod a tradita scriptura nimis recedit, cujusque tempus sententiarum nexui minus accommodatum est, proponam ἐπόθεις „desideravisti", quod facile in οὐκ οἶσθ' transire potuit.

v. 1188. In eadem Hecubae lamentatione alter exstat locus nondum sanatus. Postquam enim commemoravit, quanto amore Astyanax sese complexus sit, exclamat:

*οἴμοι, τὰ πόλλ' ἀσπάσμαθ' αἵ τ' ἐμαὶ τροφαὶ*
*ὕπνοι τ' ἐκεῖνοι φροῦδά μοι, κ. τ. λ.*

In qua exclamatione verba ὕπνοι τ' ἐκεῖνοι neque ad Astyanactem neque ad Hecubam apte pertinere possunt. Astya-

nactis enim somnos Hecubam desiderare, etiamsi in v. 1181 λέχος retineretur, absurde dicitur, Hecubae ipsius vero somni significari non possunt, quia in iis quae praecedunt de his sermo omnino non fuit. Itaque haec verba depravata esse inter recentiores Troadum editores convenit. Nauckius igitur e conjectura Dobraei edidit πόνοι τ' ἐκεῖνοι, quae verba referre debemus ad Andromachae labores in v. 1175 commemoratos. Sed et μοι post φροῦδα et eae res, quas in v. 1187 Hecuba desiderat, demonstrant, etiam tertiam rem, cujus jacturam deplorat, eam ipsam olim declectavisse. Munro l. i. conjecit ὕπνοι τε κοινοί. Sed quis credat, aviam regiam cum nepote suo una dormivisse? Neque melius est quod Tyrrellius scripsit ἄυπνοί τε κλῖναι, cum neque ante dictum neque per se verisimile sit, veterem reginam de nepote sollicitam nocturno somno abstinuisse; ut vero abstinuerit, nonne, si eam generaliter noctes somno expertes desiderantem audimus, in eam opinionem adducimur, ut putemus, Hecubam captam atque dolore curisque afflictam somno non carere, sed summopere frui? Mihi quidem reputanti, modo Hecubam ea verba sibi in animum revocavisse, quibus Astyanax ei blandiri solebat, haec ipsa verba jam eam respicere persuasum est, ut scribendum putem κόμποι τ' ἐκεῖνοι etc.

1223. Hecuba scutum Hectoris allocuta dicit:

στεφανοῦ· θανεῖ γὰρ οὐ θανοῦσα σὺν νεκρῷ.

Pro θανοῦσα Bartholdus in libro miscell. Bonnensi ed. a. 1864 ex scholiis ταφεῖσα substituendum esse censuit. Quam conjecturam, etsi primo aspectu placet, veram non habeo. Hecuba enim scutum iisdem honoribus ornatura est, quibus mortuum nepotem ornavit, cf. v. 1144; quare eam negare scutum moriturum esse veri dissimile est. Accedit, quod Euripides, ut omnino oxymori amans est (cf. Iph. Aul. v. 465, 1139. Iph. T. v. 512, Or. 613,

Andr. 1084. Bacch. 332, Пec. 566, El. 1230, Phoen. 272, 357), ipsas moriendi notiones non raro ita juxta posuit, ut figura illa evaderet. cf. Hec. 431 *τέθνηκ' ἔγωγε πρὶν θανεῖν κακῶν ὕπο.* Jon. 1444 *ὁ κατθανών τε κοὐ θανὼν φαντάζομαι.* Hel. 138, 286, 1050. Sententia igitur nostri loci est: „interibis cum mortuo, quanquam tu mortem non obisti".

# Index locorum.



TYPIS EXPRESSIT OFFICINA SCHMIDTIANA HELMSTADIENSIS.

# Vita.

Natus sum Carolus Busche Asseli, in vico prope Stadam sito, a. d. V Cal. Sept. a. 1859. Patre praematura morte abrepto mater cum Uelzenum migravisset, primum adii progymnasium Ulzense, tum Lyceum Hannoveranum. Inde ab anno h. s. LXXX. usque ad. a. LXXXIV in academia Georgia Augusta litteris operam dedi philologicis atque prodocentes audivi viros clarissimos: Baumannum, Brunsium, Dilthejum, Heynium, G. Müllerum, G. E. Müllerum, Sauppium, Wilamowitzium. Seminarii philologici per ter sex menses fui sodalis, archaeologici per quinquies sex menses.

Omnibus autem praeceptoribus gratias ago semperque habebo quam maximas.